PHARMACOPOEA

HOMOEOPATHICA

EDITA

A

Dr. F. HARTMANNO.

LIPSIAE
SUMTIBUS BAUMGAERTNERI.
MDCCCXXIX.
1829

Impressit Georg Marft.

DISPENSATORIUM

HOMOEOPATHICUM

AUCTORE

Dr. CASPARIO.

DENUO EDITUM, AUCTUM ATQUE EMENDATUM

A

Dr. F. HARTMANNO.

LIPSIAE
SUMTIBUS BAUMGAERTNERI.
MDCCCXXIX.

PHARMACOPOEA
HOMOEOPATHICA

AUCTORE

Dr. CASPARIO.

DENUO EDITA, AUCTA ATQUE EMENDATA

A

Dr. F. HARTMANNO.

LIPSIAE
SUMTIBUS BAUMGAERTNERI
MDCCCXXIX.

Homöopathische Werke

im Verlage der Baumgärtner'schen Buchhandlung zu Leipzig (Petersstrasse No. 112.), welche durch alle Buchhandlungen um beigesetzte Preise bezogen werden können.

Unumstösslicher, leichtfasslicher Beweis für die in den Gesetzen der Natur begründete Wahrheit der homöopathischen Heilart. Zur Ueberzeugung von Zweiflern nach des Dr. Bigel, Leibarztes S. K. Hoheit des Grossfürsten Constantin in Warschau, in seinem homöopathischen Werke mitgetheilten wichtigen und einigen eignen Erfahrungen, aufgestellt von Dr. *C. Caspari.* 8. Preis 8 Gr.

Die Homöopathie wird noch immer von den Anhängern des alten Systems unermüdlich angefeindet und man lässt kein Mittel unversucht, den Nichtarzt gegen sie einzunehmen; dieses bewog den Verfasser des vorliegenden Schriftchens dazu, eben für diese Klasse von Lesern eine Abhandlung zu schreiben, welche die grossen Vorzüge der Homöopathie auf eine allgemein verständliche Weise in's hellste Licht stellt und ihre Wahrheit für Jeden, der nicht mit partheiischer Blindheit geschlagen ist, ausser allen Zweifel setzt. Möchte doch jeder Gebildete, der so oft der Reibung dieser beiden Systeme begegnet, diesem Schriftchen die Aufmerksamkeit schenken, welche ein die Menschheit so innig berührendes Interesse und sein eignes zu fordern berechtigt sind.

Katechismus der Homöopathie, oder kurze und fassliche Darstellung der Grundsätze des homöopathischen Heilverfahrens für Aerzte und Nichtärzte von Dr. *C. G. Ch. Hartlaub*, ausübendem Arzte zu Leipzig. Dritte Auflage. 8. Preis 16 Gr.

Durch dieses Werk, welches von dem, mit der Homöopathie und Allopathie genau bekannten Verfasser mit aller Sorgfalt ausgearbeitet ist, wird ein wahres Bedürfniss befriedigt. Es macht, in gedrängter Kürze, uns auf eine, auch dem ununterrichteten Theile des Publikums verständliche Weise mit der viel angefeindeten, dennoch aber vielfältig geschätzten homöopathischen Heilkunst bekannt und verdient — namentlich von Layen — gelesen zu werden, damit ihnen die Grundsätze, die Verfahrungsart und der Werth der Homöopathie bekannt und sie dadurch in den Stand gesetzt werden, in Zukunft selbst ein der Sache angemessenes Urtheil zu fällen.

Systematische Darstellung der reinen Arzneiwirkungen zum praktischen Gebrauch für homöopathische Aerzte von Dr. *C. G. Ch. Hartlaub*, ausübendem Arzte zu Leipzig. 6 Bände in 8 Abtheilungen. gr. 8.

Verdienstlicher für die homöopathische Heilkunst und förderlicher für das Studium derselben, konnte wohl kaum ein Unternehmen seyn, als das hier angezeigte Werk, woran der Verfasser schon seit langer Zeit unermüdet arbeitete. Die homöopathischen reinen Arzneiwirkungen, welche theils in *Hahnemann's* reiner Arzneimittellehre, theils im Archiv für die homöopathische Heilkunst enthalten sind, theils noch ungedruckt zerstreut lagen, sind in demselben in eine solche Anordnung gebracht, dass der Le-

PRAEFATIO.

Quum in hac tertia editione totius libri formam mutaverim, rationem, cur hoc a me factum sit, lectoribus communicandam esse judico. Primum pharmacopoeae homoeopathicae nomine librum inscripsi, quoniam simplicibus remediis homoeopathicis dispensatorii denominatio non convenit; ea enim remedia, quae composita sunt, dispensari tantum dicuntur, saccharum vero lactis atque globuli e saccharo et amylo confecti, quibus plurima remedia homoeopathica excipimus, nullas habent vire medicas. Deinde ea forma usus sum, quam in optimis quibusque pharmacopoeis observatam esse invenio, quaeque longe aliis omnibus praeferenda est. Denique omnes de morborum curatione adnotationes, quae singulis remediis additae erant, delevi, cum medico experto atque morborum naturam secum reputanti nullius essent utilitatis, istis vero, qui artem sine

judicio exercent, negotium nimis facile redderent eosque in levitate sua retinerent; pharmacopolis tandem nullum plane afferrent commodum. Quibus de causis ea tantum recipere volui, quae maxime ad rem mihi spectare videbantur, quo referri debent et temporis spatium, per quod remedia quaeque efficacitatem suam retinent, et antidota, quibus eorum vires perniciosas compescimus. His praemissis librum meum lectoribus ita trado, ut quid praestare voluerim, non quid praestiterim, benevole respiciant.

Scripsi Lipsiae
mense Januario a. MDCCCXXIX.

Index medicamentorum.

75. Hyoscyamus niger.
76. Jacea, vid. Viola tricolor.
77. Jalappa.
78. Ignatia.
79. Jodium.
80. Jpecacuanha.
81. Juncus pilosus.
82. Lactuca virosa.
83. Lamium album.
84. Ledum palustre.
85. Lolium temulentum.
86. Lycopodium.
87. Manganesium sive Manganum aceticum.
88. Magnesia carbonica.
89. Menyanthes trifoliata.
90. Mercurius.
91. Mezereum.
92. Millefolium.
93. Moschus
94. Murias magnesiae.
95. Natrum.
96. Nerium oleander.
97. Nitrum.
98. Nux moschata.
99. Nux vomica.
100. Oenanthe crocata.
101. Ononis spinosa.
102. Opium.
103. Poeonia officinalis.
104. Paris quadrifolia.
105. Petroleum.
106. Petroselinum.
107. Phosphorus
108. Platina.
109. Plumbum aceticum.
110. Prunus laurocerasus.
111. Prunus padus.
112. Pulsatilla.
113. Ranunculus bulbosus.
114. Ranunculus sceleratus.
115. Rheum.
116. Rhododendrum chrysanthum.
117. Rhus toxicodendron.
118. Rorella siv. Drosera.
119. Ruta.
120. Sabadilla.
121. Sabina.
122. Sambucus.
123. Sassafras.
124. Sassaparilla.
125. Sedum acre.
126. Senega.
127. Senna.
128. Sepia.
129. Serpentaria.
130. Silicea.
131. Solanum nigrum.
132. Spigelia.
133. Spongia tosta.
134. Squilla sive Scilla.
135. Stannum.
136. Staphysagria.
137. Stramonium.
138. Sulphur.
139. Tabacum.
140. Taraxacum.
141. Teucrium marum.
142. Thea.
143. Thuja occid.
144. Thymus serpyll.
145. Tinctura acris sive kali.
146. Tinctura sulphuris sive Spiritus vini sulphuratus.
147. Uva ursi.
148. Valeriana.
149. Veratrum album.
150. Verbascum.
151. Viola odorata.
152. Zincum metallicum.
153. Zingiber.

Quamquam homoeopathici iisdem remediis ad morbos sanandos utuntur, quibus allopathici, eaque pariter e regno plantarum, minerarum atque animalium depromunt, in eo tamen ab illis discrepant, quod curant, ut haec remedia semper sint quam recentissima, efficacissima et, quatenus fieri possit, immutata. Quem finem triplicem eumque maxime necessarium ut assequantur, talia haec corpora medica adhibent, qualia natura offert, neque iis addunt, quo vis eorum mutetur. Hoc consilio e plerisque plantis, si nullum obstat impedimentum, succum recentem sumunt: ex iis vero plantis, quae non nisi siccae obtineri possunt, spiritu vini adfuso illa parant medicamenta, quibus nomen est tincturis: vel si modis commemoratis plantas praeparare nequeunt, terendo medicorum usui aptas reddunt. Priusquam vero ad modum singula, quae homoeopathiae inserviunt, remedia parandi transeo, opus est, ut moneam, quid in iis parandis, servandis suppeditandisque caveri debeat.

Regulae generales.

Ante omnia in medicamentis praeparandis summae munditiei aeque ac remotioni omnium

rerum, quaecunque eorum efficacitatem imminuere possint, studendum est. Oportet igitur eum, qui iis parandis occupatur, deligere locum, ubi calor neque cubiculorum nostrorum temperiem superet, neque solis radii corpus medicum, quod tractat, feriant, neque aër malis vaporibus, verbi causa acido sulphuroso, hydrogeneo acido, hydrotionthico, carbonum fumo, cloacarum et latrinarum vicinia, medicamentorum odoribus, praecipue moschi, valerianae, camphorae, spiritus cornu cervi, castorei, asae foetidae, et quae sunt alia, inquinatus sit. Ubi enim medicamentis multo spiritu vini adfuso attenuatis (Verdünnungen) vel aliquantulum istarum, quas modo enumeravimus, rerum admixtum sit, proinde etiam vires, quibus instructa sunt, mutantur atque incertae fiunt. Eandem ob causam parandis remediis, quae in homoeopathia sunt usitata, ea vasa minime apta sunt, in quibus paulo ante corpora gravem odorem spargentia vel quae firmiter illis adhaerent, exempli gratia moschus, olea aetherea, mercurius corrovivus sublimatus, arsenicum, et quae his sunt similia, servata erant, nisi forte, priusquam novi quid his vasis immittatur, multa aqua strenue eluta, deinde siccata, denique vero, ne plane nihil timendum sit, fornaci candenti admota atque bene calefacta fuerint.

Hanc autem curam probus medicus et recti conscius tum quoque adhibebit, cum necesse erit, ut idem remedium magis attenuatum detur aegroto, ita enim et calculi errorem fugiet,

et ne medicinae aliquantulum virium suarum atque efficacitatis detrahatur, commode cavebit. Eadem est ratio, cur lagenulis vel caute elutis, in quibus alia remedia servata fuerunt, nunquam nova medicina infundenda sit, quare necesse est, ut quoties de novo agitur remedio, toties nova eligatur lagenula. Ut sumtus nimii evitentur, fuerunt, qui viam proponerent ad purgandas lagenas medicina semel imbutas atque removenda incommoda, quae in aegrotos inde redundare possent. Ita Casparius, qui heus nimium cito diem obiit supremum, repetitam spiritus vini in iis deflagrationem atque deinde sedulam purgationem aquae purae atque recentis ope instituendam commendavit. Grossius vero laudat fermentationem, quae plantarum partibus, quibus nulla prorsus inest medica vis, verbi causa floribus in frusta comminutis aliisve rebus lagenae purgandae immissis, excitatur. *) Hac vero via tum saltem uti possemus, si quando eadem medicina lagenulae, quae antea in ea fuerat, et quidem eodem modo attenuata, infundenda esset, si quidem omnem errorem evitare vellemus. Idem dicendum est de embolis, quibus, salva purgatione diligentissima, quae fit coquendo et abluendo, nunquam vasa iterum obturanda sunt.

Lapides, quibus utimur ad conterenda me-

*) Vituperandus est Grossius, quod corporum subtilissimorum, (Gase) quae fermentatione gignuntur, nullam vim medicam esse credit.

talla pura, quae cruda sunt necdum in laminas ducta, antequam novum metallum iis conteritur, necesse est, ut vitri frusto, purgationis causa, leniter radantur.

Vasa et instrumenta, quae ad hanc rem necessaria sunt, verbi causa spathae, cochlearia, infundibula, et quae sunt his similia, vel lapidea, vel porcellano confecta, vel cornea sint oportet, ne fortasse metalli alicujus particula remediis parandis immisceatur, quo vis eorum incerta atque alia fieri possit.

Calor ut plurimum plane vitandus est, non tamen semper, quod deinde demonstrabimus; ille enim, Hahnemanno auctore, haud parum medicamentorum vires mutat.

Lintea, quibus succus e plantis exprimitur, et per quae jam expressus colatur, purissima semper sunto neque usitata, nam ne frequenti quidem lotione particulis forte inhaerentibus perfecte liberari possunt.

Accuratissima ponderis definitio similiter atque summa mundities requiritur: etenim si vel aliquantulo plus aut minus, quam par est, sumitur, minime poterit evitari, quin in remediis deinceps attenuatis et dilutis (Verdünnungen) calculi error deprehendatur: nam is eo facilius apparebit, quo magis remedia attenuata et diluta sunt, qui si commissus est, in morbis acutis, ubi dilutissimis illis opus est, haud parum aegroti periclitabuntur.

Ubi remedium, et praesertim quidem pulverem parare coepimus, si qua ab opere avo-

cemur, vitandum est, ne aër ad illud accedat, sed accurate in vitrum aut scatulam includendum est, aliter enim timendum, ne remediorum vis mutetur, quod potissimum de mediis valet attenuationibus (mittlere Verdünnungen). Neque minus cauti esse debemus in attenuandis remediis liquidis (flüssige Verdünnungen); quod si exempli causa incerti sumus, num jam remedii guttulam spiritui vini vi medica nondum praedito affuderimus, melius erit lagenulam denuo purgare atque necessaria spiritus vini quantitate replere repletaeque medicinam addere. Quo neglecto, quanta inde nascantur incommoda, definiri nequit. Eadem cura adhibenda erit, si forte incautis nobis una vel altera guttula plus, quam satis est, admixta fuerit spiritui vini, vel ab interna lagenae facie defluxerit.

Quotiescunque aqua solvendum est remedium, quomodocunque illo utamur, destillata illa opus est: nam in communi aqua multae ferri, salium, sulphuris aliarumque rerum, quae medica vi pollent, particulae insunt, unde timendum erit, ne remedii adhibendi vires alienentur.

Monendum tamen est, ipsam aquam destillatam atque spiritum vini haud raro impura esse, eamque ob causam ad paranda remedia homoeopathica minime apta. Ita quidem saepe accidit, ut in vasis brevi ante aquae destillatae vel spiritus vini praeparationem aqua aromatica vel medicina quadam imbutis restet aliquid, et si sit subtilissimum et pauculum, quod ne diligentissima quidem purgatione inde plane po-

test auferri, et quo spiritus vini vel aqua pura inquinetur necesse est.

Idem valet, et magis etiam, de eo spiritu vini, qui in officinis pharmaceuticis e reliquiis quorundam praeparatorum chemicorum, quae vocantur, verbi causa resinae jalappae aliorumque repetita destillatione obtineri solet. Item cavendum est, ne corpora, dum destillantur, vel cupreis, vel stanneis vasorum particulis inficiantur, quod, quia vapores metallorum, etsi cautissimi simus, facillime medicinam intrant, haud semper prohiberi, neque subtilissima exploratione deinde investigari poterit.

Licet enim omnia, quae hic recensuimus, spiritus vini atque aquae destillatae vitia chemiae auxilio deprehendi nequeant, certissimum tamen est, iis non minus aegrotos affici, quam ipsorum medicamentorum, quae spiritu vini vel aqua pura excipiuntur, vires turbari atque alienari.

Qua re ad haec vitia evitanda maxime necessarium est, ut et aquam et spiritum vini ex optimo frumenti spiritu obtentum in vasis vitreis ad hunc solum usum destinatis iisque purissimis maxima cura paremus. Ei enim spiritui vini, qui calce muriatica fortissimus redditur, nequaquam fidendum est.

Iste spiritus vini, quem praebent solani tubera, minime frumentorum spiritui puro aequiparandus est, quippe cui nunquam vires medicae plane adimi possint.

Ut probe cognoscamus, utrum spiritus vini, quo utendum est, e frumento an e tuberibus

solani paratus sit, odorem et gustum sequi duces oportet, quo facto facile apparebit, spiritum frumenti purum foetorem spargere singularem (Fuselgeruch), alterum vero a solano suppeditatum blande atque suaviter olere et sapere. Ille tamen difficilius ab hoc distingui potest, si ei artificiis usitatis, verbi causa calcis muriaticae et carbonum pulveris additamento, foetor iste et sapor singularis ademti fuerint.

Neque a re videtur esse alienum, si moneam, quantum nostra referat, ut et aequabili ratione medicamenta homoeopathica parentur, et spiritus vini ejusdem semper sit virtutis. Haec res notatu dignissima, quantum ego scio, ab aliis nondum castigata est. Fac enim, duos tincturam chinae parare, alterum spiritu vini 70° ope, alterum 90°; hic sine dubio medicinam multo efficaciorem nanciscetur, quam ille, cujus tinctura duodecies attenuata multo erit altera illa eodem modo diluta debilior. Quod si ita est, utraque aegrotos diverso modo afficiet. Equidem, ut omnes vires e corporibus medicis eliciam, spiritu vini 90° uti soleo. Quando vero attenuatione opus est, spiritus vini minus fortis adhiberi potest, cum vires jam comparatae minuendae tantum sint; hic enim non nisi eo fine adhibemus spiritum vini, ut medicamenta contra corruptionem tueamur.

Ut medicamenta praeparata, et potissimum quidem illa, quorum attenuationes primae pulverum forma asservantur, sint sincera atque pura, vehiculo itidem puro opus est. Saccha-

rum lactis*), quale prostat in officinis, quippe persaepe in mortariis ferreis, imo ex orichalco fabrefactis, non satis caute contusum et comminutum, haud potest, quin sit impurum, vel herbis in vicinia positis vario odore impraegnatum, ideoque medicis viribus instructum; quod quidem non levis momenti est, ut quisque sanae mentis facile intelliget, et luculenter apparet necessitas explorandi, num saccharum lactis, quo utimur, purum sit. Interdum huic saccharo, in vasis cupreis cocto, cupri particulae inhaerent, quae plurimum sanitati infestae optime detegi possunt, si saccharo lactis aqua soluto ammonii aliquantulum additur, quo facto cuprum coeruleo colore manifestatur. Ut e saccharo odor, quem attraxit e vicinis herbis, expellatur, illud supra chartam albam dispersum aliquamdiu solis radiis subjicio, vel, anni tempestate id prohibente, in fornace mediocriter calente pono, simulque tamdiu agito, donec omnis prorsus evanuerit odor. Loco humido propterea non servandum est saccharum illud, quia facile situ corrumpitur.

Dum medicamenta attenuamus, in pulverem ea redigendo, abstinendum est a mortariis lapide serpentino confectis, utpote quae vel intus raro laevia sunt, quo fit, ut aliquot particulae pulveris parandi isti asperitati inhaereant

*) Saccharum lactis et spiritus vini propterea remedia homoeopathica optime excipere possunt, quoniam medicis viribus carent, quod multiplex docuit usus.

atque medicinae detrahantur, vel ita atteruntur, ut aliquantulum magnesiae, qua conflata sunt, pulveri admisceatur eumque impurum reddat. Namque, ut recentissima docuit observatio, dubitari nequit, quin magnesia, calx, argilla, terra silicea, et quae sunt reliqua, apte trita vires medicas easque efficacissimas acquirant, quare admixta medicinae parandae haud flocci putanda sunt, uti fortasse aliquibus videatur. Idem dicendum est de mortariis vitreis, quorum aliud insuper est incommodum, quod parvulae bullae, quae saepe insunt vitro, pistillo franguntur, quo facto medicamentum in iis delitescit ita, ut ne diligentissima quidem purgatione inde possit excuti.

Qua de re optime sunt paterae porcellano confectae, vel simplices, vel vitro inductae. Simplicibus utitur Hahnemannus, easque, uti pistilla nuda (unglasirt), aptiores etiam reddit subtilissima arena humectata multum eas abstergendo, qua ratione et politissimae fiunt, et impeditur, quo minus atterantur.

Pulvis, qui, dum teritur, facillime paterae et mortarii parietibus adhaeret, idoneis instrumentis detrudendus est, cui fini spathula vel ossea vel cornea optime satisfacit. A spathulis metallo confectis abstinendum est, ne medicinae aliquid admisceatur, quo ejus vires alienentur.

Cum certa medicamenti vis non nisi parvae vehiculi, uti appellatur, quantitati perfecte et aequabili modo possit immisceri, et cum plane fieri nequeat, ut medicina in patera angustiore

eo attenuetur, quoad fini proposito respondeat, calculo deinceps progrediente utentes grano ejus uni centum grana corporis, quo excipitur, addimus, quod toties repetendum est, quoties uniuscujusque remedii naturae consentaneum erit.

Haec ratio in fluidis remediis ut facilior reddatur, duabus mensuris vitreis opus est, in quarum una centum guttarum spiritus vini, in altera vero centum guttarum aquae modus linea notatus est, quo facto singulis guttis numerandis supersederi poterit, inprimis cum aquae guttae e vasis aspero orificio haud praeditis delabentes aegre numerari possint. Quando medicina attenuanda est, tot mensurae, quot sunt opus, additis antea et nomine remedii et numero, deinceps locantur, atque indicato spiritus vini modo replentur, ut deinde a prima mensura ad ultimam progredientes attenuandam medicinae quantitatem ex una in alteram commode possimus instillare.

De modo, quo utuntur homoeopathici in remediis parandis, generatim agitur.

Plantae apud nos crescentes, quibus recentibus uti licet, dum florent, colligendae atque a sordibus adhaerentibus aqua purgandae sunt. Plerumque totam plantam, et flores, et caulem cum foliis, et radices adhibemus. Ab hac regula plantae, quae sunt exceptae, in posterum a me indicabantur. Ut autem earum vires totas et quam fieri possit integerrimas im-

petremus, plantas in minutissima frusta dissectas atque mortario injectas in pultem tenuem tundendo redigimus, quam, ut succus omnis inde extrahatur, linteo exceptam praelo ligneo subjicimus. Succum, pari statim spiritus vini quantitate admixta, vasis vitreis recondimus. Die uno elapso id quod limpidum est et clarum, a fibris et albumine separatur. Spiritus vini admixtus impedit succi fermentationem, viresque remedii, a quo insuper solis radii arcendi sunt, incolumes et incorruptas servat. In plantis, quae muco et albumine abundant, duplex plerumque spiritus vini quantitas requiritur, ut istae inutiles partes recte secedant. Aliae, quibus parcus inest succus et rarus, subtiliter contusae cum spiritus vini duplici quantitate sunt miscendae, quo facto succus spiritu vini exceptus facilius exprimitur.

Plantae peregrinae, quarum corticem, semina et radices adhibemus, priusquam in pulverem convertuntur, ut, num sint genuinae atque incorruptae cognoscatur, diligentissimo egent examine. Videndum est, ut plantae sint siccissimae, nam si aliquid in iis latet humoris, nequaquam poterit evitari, quin pulvis inde parandus paululum humidus sit, qualis quidem vasis clausis reconditus a situ et corruptione aegre defendetur. Id Hahnemanno auctore optime assequimur pulverem in patera ferrea, cui sunt margines alti et quae in lebete aqua repleto natat (Wasserbad), dispergendo et frequenti agitatione siccando, donec omnes glebae dissipatae sint ne-

que cohaereant amplius, sed arenae subtilis instar discesserint atque levi aura excitari possint.

Ita pulvis vasis bene clausis atque sigillo obturatis per longum tempus integer servatur. Optimum est, si medicus ipse cortices, semina radicesque plantarum peregrinarum in pulverem redigit, quod fieri debet in mortario lapideo, vel, si necesse sit, in mortario ferreo, atque adfusa spiritus vini apta quantitate tincturam ex eo sibi parat, quam elapso tempore necessario, quod, dum de singulis remediis sermo erit, indicabitur, de pulvere defusam bene recondit. Idem valet de remediis peregrinis, quae animalia largiuntur et quae non nisi sicca ad nos perveniunt.

Paucis solum corporibus medicis ad primam atque perfectam solutionem spiritus nitri vel naphtha adfundatur; sequentes vero attenuationes usitato modo fieri debent.

Metalla duplici modo tractantur. Aliis Hahnemannus utitur solutis, aliis in pulverem redactis. Pnlveres praeferendos esse censemus, qua de re solutiones tantum commemoramus. Etiamsi enim metalla addito saccharo lactis terendo paululum acescant (oxydirirt werden), tamen non tantum inde nascetur incommodum, quantum si acida iis addiderimus, cum satis constet, acidis et spiritu vini deinceps adfusis vim medicam multo minus excitari, quam si modo supra indicato metalla cum saccharo lactis conterimus. Itaque metalla vel acido aliquo solvimus, vel, si non uti aurum, argentum atque stannum in

tenuissimas laminas ducta venduntur, comminuimus: quod fit, si partem metalli genuini et purissimi in lapide sub aqua terimus, donec sufficientem pulveris quantitatem nacti sumus. Lima propterea haud utendum est, quia, auctore Wells, Anglo quodam, metallum alterius metalli, quo mulcetur, vires acquirit.

Remedia antipsorica recens commendata et alia quaedam medicamenta, baryten carbonicum, calcem carbonicam, terram siliceam, natrum, sal ammoniacum, magnesiam carbonicam, carbonem ligneum et animalem, graphyten, sulphur, antimonium crudum, aurum, platinam, ferrum, zincum, cuprum, argentum et stannum Hahnemannus ita praeparari jubet:

De his remediis in pulverem redactis granum unum, totidem de hydrargyro vivo, de oleo petrae vero guttam unam, atque ita de reliquis, tertia centum granorum sacchari lactis parte addita, in patera porcellanea vitro non obducta (unglasirt) ponimus: utrumque, et saccharum lactis et remedium, cornea vel ossea spathula sibi invicem immixtum aliqua vi per decimam horae partem terimus, tritumque per decimam quintam horae partem a vasis fundo et pistillo abradimus, ut omnia aequabiliter commisceantur, abrasa vero sine addidamento iterum per decimam horae partem eadem vi conterimus. Pulveri iterum per decimam quintam horae partem perfecte abraso altera tertia pars centum sacchari lactis granorum additur, utrumque spathula per breve tempus commixtum de-

nuo per decimam horae partem vi parva teritur, id vero, quod deinde intra decimam quintam horae partem abrasimus, iterum per decimam horae partem fortiter conteritur; quod si bene abrasum fuerit intra decimam quintam horae partem, ultimae tertiae sacchari lactis parti spathulae ope immiscetur, ut tota haec mixtura, postquam per decimam horae partem fortiter trita atque per decimam quintam horae partem abrasa fuerit, ultima vice per decimam horae partem teri atque trita perfecte abradi possit. Pulvis tali modo paratus in vase bene obturato reconditur, et recondito nomen medicinae additur atque signum 100 inscribitur, quo vis centies aucta, quae illi inest, significetur.

Ut vis remedii decies millies (10,000) explicetur (potenzirt werde), granum unum de pulvere, qui signo 100 notatus est, tertiae parti centum granorum sacchari lactis denuo admiscendi additur, in patera pistilli ope agitatur, atque modo indicato tractatur, ita ut quaevis tertia pars per bis decimam horae partem fortiter teratur, trita vero toties et quidem per decimam quintam horae partem abradatur, priusquam altera et ultima tertia sacchari lactis pars ei addatur, atque similiter per bis decimam horae partem teratur, ut deinde abrasus in vase vitreo bene clauso recondi atque signo 10,000 notari possit, quo vis remedii decies centies explicata indicetur.

Pariter hujus pulveris granum unum tractamus, ut vis ejus decies centies millies explicetur, quod signo I indicatur.

Itaque quaevis attenuatio per sexies decimam horae partem terendo atque sexies decimam quintam horae partem abradendo paratur, quo quidem labore integra hora consumitur.

Ut remedia homoeopathica, et nominatim antipsorica, certe cum in pulveres illa redigimus, aequabili modo parentur, cavendum est, ne, quaecunque illa sint, vel plus, vel minus quam decies centies millies explicentur (millionfache Potenzirungen), ut ex iis eo usque explicatis, si qua deinceps explicatione et dilutione sit opus, hae commode fieri possint. Omnia remedia in pulverem decies centies millies attenuatum redacta aqua et spiritu vini solvere atque ita fluida reddere licet:

Prima solutio spiritu vini puro adfuso parari nequit, quoniam saccharum lactis hoc liquore non solvitur: qua de re spiritu vini aqua commixto instituitur; is vero ita parandus est, ut centum guttae spiritus vini omni aqua privati cum totidem aquae destillatae guttis brachio decies agitato confundantur, qua in re ut et spiritus vini et aqua ejus sit caloris, qualis in caveis deprehenditur, necesse est.

Grano uni pulveris, cujus vis ratione indicata decies centies millies (I) explicata est, centum guttae spiritus vini ita cum aqua mixti adduntur, atque lagenula clausa, qua haec mixtura recepta est, aliquamdiu circa axin suam movetur, donec pulvis solutus est, deinde bis, brachio quidem bis moto, concutitur, quo facto, praeter nomen medicamenti signum 100 I

ei inscribitur. Hujus solutionis gutta una nonaginta novem vel centum guttis spiritus vini puri adfunditur, lagenula vero clausa, brachio bis agitato concussa signo 10,000 I notatur. De hac solutione itidem gutta una tertiae lagenulae simul cum nonaginta novem vel centum guttis spiritus vini infunditur, lagenula vero clausa atque repetito brachii motu concussa signo II inscribitur. Eaedem regulae, quoties ulteriore explicatione medicinae opus est, observari debent.

Quoniam lagenulae mediocri tantum brachii motu concutiendae sunt, optimum est, tales deligere, quae centum guttis medicamenti attenuati ad duas tantum tertias partes repleantur.

Hahnemannus nunc suadet, ut remedia fluida, quorum vires explicandae atque una mitigandae sunt, exceptis antipsoricis medicamentis, bis tantum, brachio bis moto, concutiantur. Praetera censet, remedia, quae a plantis non nisi sicca obtinentur, verbi causa corticem chinae, radicem ipecacuanhae et his similia, modo remediorum, quae antipsorica vocantur, praeparata atque pariter in pulverem decies centies milies explicatum redacta aqua et spiritu vini solvi posse, quippe cum hac praeparatione adhibita, salvis illarum viribus medicis, melius et longius conservari possint, quam tincturae spirituosae, quae facile corrumpuntur.

De remediorum denominatione.

Remediorum denominatio simplex est atque his nititur regulis: Succi recentes spiritui vini adfusi similiter atque remedia fluida spiritus vini ope e corporibus medicis siccis extracta *tincturae* vocantur. Casparius, quem mors infelix literis praemature eripuit, inter utraque ita distinguebat, ut illos *essentias*, haec vero strictiori sensu *tincturas* appellaret. Quoniam vero spiritu vini cum e succis tum e corporibus siccis nonnisi id, quod medica vi pollet, extrahitur, neque ulla praeterea exsistit differentia, sententiam ejus, qui in ephemeridibus judicavit de prima hujus libelli editione, (Vid. Archiv f. d. h. Heilkunde, B. IV. H. III. S. 114.) de rejicienda altera denominatione (essentia) probandam esse censeo. Tincturae, quae non sunt attenuatae, vocantur *fortes*, exempli gratia *tinctura fortis* belladonnae, addito die, quo praeparata est. Attenuationibus praeter nomen medicamenti et numerum, quo indicetur, quota sit attenuatio, iis tamen, quae attenuari non possunt, exceptis, nihil addendum est.

Juxta medicamenti nomen attenuationis numerus ponendus est, hoc modo: belladonna 100, 10,000 I. Ita prima tinctura centesimam, altera decies millesimam, tertia decies centies millesimam grani partem continebit. Quarta signo 100 I, quinta 10,000 I, sexta II notatur, et ita deinceps. Quavis tertia solutione remedium decies

centies millies explicatur, ita ut sexta attenuatio billionesimam, nona trillionesimam, decima quinta quintillionesimam, vicesima quarta octillionesimam, tricesima decillionesimam grani partem contineat.

Brevitatis causa ex longiore inde tempore remedia ita signo: attenuationem centesimam et millesimam arabicis numerorum signis, decies centies millesimam vero romanis indico, exempli gratia belladonna 1 (centesima pars), belladonna 2 (decies millesima pars), belladonna I (decies centies millesima pars), belladonna 1/I (decies centies millesimae partis pars centesima), belladonna 2/I (decies centies millesimae partis pars decies millesima), belladonna II (decies centies millesimae partis pars decies centies millesima), atque ita deinceps.

Remedia sicca, non attenuata nomine tantum insignimus, ea vero, quae jam saccharo lactis sunt immixta, similiter nomine et numeris, uti in fluidis modo indicatum est, signare solemus, exempli gratia aurum, argentum platinam, calcaream carbonicam, siliceam 1. 2. I. 1/I. 2/I. II. etc.

Signa proinde embolo lagenae atque chartae huic ipsi glutine affixae inscribantur, quia periculum est, ne striae chartaceae filo lagenae adligatae perdantur, quo facto series attenuationum turbetur, necesse est.

Varia metalla, et oxydata et regulina, ita signantur, ut illis nomen acidi, quo sunt soluta, (ferrum *aceticum*) his vero vox *metallicum* addatur (ferrum metallicum).

De conservandis medicamentis praeparatis.

Plurimis causis remedia praeparata summa cautione asservanda sunt.

Cum in officinis vapores corporum medicorum evitari nequeant, atque vires remediorum homoeopathicorum, quod praecipue valet de eorum attenuationibus, inde alienentur necesse sit, non nisi in camera sejuncta atque clausa haec remedia satis bene possunt recondi. Illa certe institutio, qua officinae Lipsienses excellunt quaque fit, ut attenuationes in scrinio bene clauso reponantur, tincturae vero fortiores maxima ex parte ab illis remotae in alio cubiculo, quod recipiendis corporibus medicis inservit (Materialkammer) asserventur, maxime est necessaria. Cum enim pleraeque tincturae fortes, uti moschi et camphorae aliorumque medicamentorum, graves abunde spargant odores, vires suas ex parte cum attenuationibus communicabunt. Eandem ob causam lagenulae, quibus attenuationes continentur, postquam inde aliquid depromtum atque venditum fuerit, per longius tempus et minime quidem apertae in officina non remaneant. Eodem modo pulveres quam primum a rebus gravem spargentibus odorem, quippe quo facile imbui atque mutari possent, removere oportet. Omnes attenuationes asservandae sunt, cum singulae singularia constituant remedia, quae et viribus suis, et tempore, quo illas expromunt, inter se differunt, atque nulla earum supersederi possit, omnibus enim certis in morbis sua est utilitas.

Omnia medicamenta, pulveribus non exceptis, lagenis, cum scatulas et pyxides non satis contra aërem tueri possimus, excipienda sunt: lagenae vero embolis e subere factis claudantur, namque emboli vitrei asperi non ita firmiter ostiis sese applicando fugam vaporum haud prohibent. Remedia, quae facillime in vapores abeunt, praeter embolos membranis, quibus hos obducimus, tueri consultum erit. Emboli nonnunquam cum novis commutandi sunt, quod potissimum necessarium est in lagenis, quae remedia metallica continent, eoque magis, si infima embolorum pars alium induerit colorem, ne aliquid de iis spiritu vini solutum remediis admisceatur eorumque vires perdat.

Cum fere nihil sit, quod magis nobis officiat in viribus remediorum fluidorum conservandis, quam calor et lux, utrumque, quatenus fieri potest, a remediis arceri debet, cum impediat, quo minus per longius tempus integra maneant. Non solum enim spiritus vini, quem solis radii feriunt*), brevi acescit, sed vires quoque medicamentorum luce tactorum continuo pereunt. Qua de re omnia remedia, et mineralia et vegetabilia, non solum frigido, sed obscuro etiam loco re-

*) Tincturarum acorem calx pura in pulverem subtilem redacta eaque compressa prodit, quae si tincturae examinandae guttam placidissime insugit, signum est, illam nondum acidam vel corruptam esse, sin autem parvae bullae enascuntur, manifestum est, tincturam et acidam factam et viribus medicis esse destitutam.

condi debent. Quodsi autem necessitas poscit, ut in officina reponantur, deligatur locus liber atque aëri pervius, ad quem solis lux pervenire nequeat.

Proinde humiditas a remediis homoeopathicis, et praecipue quidem a terra calcarea, hepate sulphuris, baryta, nec non ab omnibus medicamentis in pulverem redactis removenda est, utpote quae similiter ea viribus suis privet.

Nonnulla remedia eorumque attenuationes, quae vi lucis facillime mutantur, uti acidum hydrocyanicum, consentaneum erit, vitris atris vel atra charta obductis asservare.

Acida propterea lagenis subere obturatis recondi nequeunt, quia suber solvunt eoque soluto vitiantur, qua de re emboli vitrei atque asperi adhibendi sunt. Verum enimvero ne accidat, ut e lagenis, quae embolis vitreis non satis firmiter sunt clausae, aliquid de acido avolet, quod in earum parietibus collectum inde defluat atque signa inscripta deleat, et embolis et orificiis lagenarum ceram obducimus, ne quid aufugere possit.

Ut in usum et exercitationem medicinae simplex quaedam et aequabilis ratio introducatur, eas tantum lagenas, quae integris numeris II, (pars millionesima) III, (pars trillionesima) IV, V et ita deinceps insignitae sunt, adhibere, lagenas vero, numerorum ratione habita illis interpositas, scatulis vel cistulis, quibus signa necessaria sunt inscripta, recondere solemus.

De remediorum dispensatione atque formulis.

In remediis homoeopathicis pulveris formam reliquis anteponere solemus. Itaque certam medicamenti quantitatem certae atque definitae sacchari lactis quantitati immiscemus. Non commutandum est saccharum lactis cum saccharo vulgari, huic enim fere semper calcis aliquantulum inest, quo, cum remediorum vires semper paululum inde alienentur, in nonnullis morbis acutis aegroto nocetur. Sacchari lactis tantum, quantum libet, adjiciendum est, in qua tamen re sequentes regulae observari debent:

Primum quoniam saccharo lactis recipimus remedia non attenuamus, medicamentum, praecipue si plura grana adhibere in animo est, ne ejus efficacitas crescat, non penitus cum saccharo illo conterimus, sed obiter tantum ei admiscemus. Cum vero multi aegroti majorem remedii quantitatem ament, bonum est, plus uno sacchari grano abhibere. Sin autem aegrotus vel mala pertinacia vel singulari quodam fastidio medicamentum in pulverem redactum plane respuat, ejus gutta lagenae ad summum viginti guttas recipienti infundatur, quo facto huic decem guttae aquae destillatae admisceantur atque tota haec mixtura funditus semel bibatur.

Remedia deinde, quae facillime in vapores dilabuntur, uti camphora, moschus, acidum hydrocyanicum et quae his sunt similia, brevi antequam sumuntur, miscenda sunt, cum per lon-

gius tempus reposita vires suas perdant, imo plane avolent. Qua de re ratum esse ducimus, haec quoque remedia additis aliquot aquae destillatae guttis in lagenula bene clausa recondere, quo ejus vires coërceantur.

Si quando cedere cogamur obstinationi aegroti pulveris albi frequentationem respuentis, potuerit forte cum saccharo lactis commisceri pulvis de seminibus theobromatis cacao vel radicis liquiritiae granum unum, quo salvis medicinae viribus ejus color mutetur.

Iam vero in remediorum dispensatione summa semper opus est attentione atque cura, ne vel guttula granove plus aut minus detur aegrotis, quam quantum praescriptum est. Proinde cavendum est, ne denuo vasa agitentur: etenim hoc ipso simplici motu vires medicamenti augentur, quo aegroti praecipue in morbis acutis in summum possint abripi discrimen. Magis etiam vitemus, ne inferiorem attenuationem, quam quae indicata est, deligamus, quoniam nulla est, quin et viribus et temporis spatio, quo has expromit, a reliquis differat, unde apparet, magna ex ejusmodi errore incommoda oriri posse. Cum nostra plurimum referat, ut vel ultimarum attenuationum dosis in morbis acutis certa sit atque constituta, oportet in remediorum dispensatione et praescriptione formulis bene expressis utamur, quas accurate sequi debet pharmacopola; qua de re eas formulas, quae Lipsiae usitatae sunt, cum lectoribus communicabo.

Celeri remediorum cum saccharo lactis mix-

tura opus est, ne illa diutius aëri exponantur. Facta mixtura remedia involucro chartaceo includantur.

In praescriptione remediorum consuetis utimur corporum medicorum nominibus, quae dum scribimus, usitatam adhibemus viam compendiariam. Videndum tamen est, ne similia nomina confundamus, uti accidere possit in verbis veratrum et verbascum, rheum et rhus, cinnamomum et cinnabaris, asa et asarum aliisque, quare tot signa literarum ponenda, quot necessaria ad vitandam obscuritatem.

In formula primum ponatur remedii nomen, deinde numerus attenuationis dispensandae, exempli gratia Rec. Tinct. sive Essent. belladonnae XXX, tum quantitas necessaria definiatur: cujus cum modo gutta integra modo perparva guttae particula pro mali magnitudine adhibenda sit, ut citius res expediri possit, signa adhibere solemus, quae sequuntur:

Gtt. j. (Gutta integra.)
Gtt. β. (Gutta dimidia.)
Gtt. p. (Gutta parva. Guttae quarta pars.)
Gtt. m. (Gutta minima. Guttae centesima pars.)

Ad variam hanc quantitatem recte definiendam et dispensandam Cel. Casparius sequentem proponit rationem: Centum globuli saccharo confecti, quales in tabernis pistorum cupedinariorum vendi solent (Zucker — Streukügelchen) bene in se recipere possunt unam spi-

mitus vini guttam. Itaque quinquaginta globulis sorbetur gutta dimidia, viginti quinque pars guttae quarta, uno denique pars guttae centesima. Quae cum ita sint, ad quantitatem propositam tutissime obtinendam satis erit, si vel quinquaginta, vel viginti quinque, vel unum globulum fluida, qua utendum est, medicina imbuamus. Globuli ita imbuti atque saccharo lactis immixti chartaceo involucro includuntur.

Cum vero gravissimum sit, ut remedia homoeopathica non solum maxime attenuentur, sed etiam, quam fieri possit, arctissimis spatii limitibus circumscribantur, cum porro in paucissimis morbis nec non nisi in robustissimis hominibus vel integra vel dimidia gutta danda sit pro dosi, satis superque apparet, doses, quas commendavit Casparius, saepius nimis esse incertas, ideoque usui et exercitationi medicinae haud satis convenire. Tutiora sunt Hahnemanni praecepta, qua re optandum est, ut in posterum medici homoeopathici ea sequantur. Sunt vero haec:

Sumantur globuli minimi vulgo a pistoribus cupedinariis e saccharo et amylo parati (Zuckerstreukügelchen), qui magnitudine fere aequant semina papaveris, quorumque ducenti circiter ad pondus grani unius accedunt. Hos globulos embolo lagenulae conversione madefacto imbuimus, quo facto cum saccharo lactis caute commixtos aegrotis porrigimus. Globuli ita medicina infecti per longum admodum tempus, imo per annum integrum et ultra, nihil de viribus medicis perdunt. Admixto vero illis saccharo lactis, prae-

cipiendum est, ut totus pulvis semel et quidem siccus vel interdum aquae guttis aliquot humectatus deglutiatur, qua in re insuper videndum est, ne aliquid inde delabatur. Hac ratione pharmacopolae indicari potest dosis, quantam medicus in aliquo morbo necessariam esse judicavit, atque medicamenta, modo supra a me indicato, ita fere proponenda sunt:

Rec. Bellad. X. (pars decillionesima) 2/VIII (partis octillionesimae pars decies millesima)

Globuli saccharini Nro. jj, jjj, IV, VI, X, XII, etc. M. S:

Globuli isti, quorum numerus in formula indicatus est, praescripta remedii attenuatione, quemadmodum brevi ante docuimus, imbuendi sunt.

Signa, quibus pondera remediorum in pulverem redactorum indicari solent, verbi causa Gr. j. gr. β. gr. ¼, facillime intelliguntur; pondera ipsa lancibus et oculis sine difficultate definiri possunt. Gr. m. eam significat quantitatem, quae magnitudine sua et ambitu lentem dimidiatam aequat.

M. (misce) indicat, simpliciter miscendam esse medicinam cum corpore, quo recipitur.

M. ex. (exacte) significat, intimius conterendam et commiscendam esse medicinam cum saccharo lactis. Hoc tamen praeceptum, quod signo illo exprimitur, formulae addere superfluum est, quoniam virium medicinae incrementum, quod hac ratione nacturi essemus, facilius et

tutius assequi possumus, jubendo aegrotum aquae aliquot guttulas pulveri adspergere.

Enumeratio atque descriptio remediorum homoeopathicorum, addita ratione, qua singula quaeque paranda sunt.

Alphabeticum ordinem, quem in aliis pharmacopoeis observatum video, ego quoque persequar.

Acidum hydrocyanicum.

(*Blausäure. Cyan - Wasserstoffsäure.*)

Tres attenuationes. (I.)

Id., quod junctis Ittneri et Schraderi praeceptis paratur, usui medicorum maxime idoneum est.

Gutta hujus remedii una cum centum guttis spiritus vini mixta signo 1 notatur. Hujus vero mixturae gutta una itidem cum centum guttis spiritus vini conjuncta secundam constituit attenuationem. Tertia tandem lagenula pars millionesima (I.) continetur. Cum hoc acidum facile avolet et solvatur, saepius denuo parandum est. Guttae e tertia lagena pars minima usui homoeopathico satis apta est. Cum vero ejus vires in corpus sanum nondum probe exploratae sint, homoeopathici medici prunum laurocerasum, de quo infra erit sermo, ei praeferunt. Optimum remedium, quo perniciosa acidi hydrocyanici efficacitas frangitur, ammonium est, parva aepius dosi repetendum.

Acidum muriaticum. (*Salzsäure.*)

Tres attenuationes. (I.)

Diligenter purgandum est ab acido sulphurico, quod saepe ei inhaeret. Id fit vel repetita supra natrum muriaticum destillatione, vel, quod melius est, denuo instituta destillatione, postquam baryta muriatico praecipitatum eoque ab omni acido sulphurico liberatum fuit.

Una hujus acidi gutta centum guttis tenuioris spiritus vini, qui e totidem guttis aquae destillatae et fortissimi spiritus vini decies repetita brachii agitatione paratus esse debet, brachio bis agitato centies attenuatur, quae attenuatio Acid. muriat. 1 signanda est. Hujus gutta cum centum spiritus vini non diluti bis agitatur, quam attenuationem Acid. muriat. 2 vocamus, unde gutta una cum centum guttis spiritus vini bis agitata tertiam praebet attenuationem, Acid. muriat I. notandam. Pars guttae minima hujus tertiae attenuationis uni vel pluribus globulis e saccharo et amylo confectis infusa dosis est sufficiens. (Vide, quae diximus supra de dispensatione remediorum homoeopathicorum.) Attenuationes interdum recens parandae sunt.

Acidum nitri. (*Salpetersäure.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Nitri, quod ut purissimum sit, partibus aquae fervidae sex primum solvendum, deinde vero, ut restituantur crystalli, frigori maximo exponendum est, unciam dimidiam in pulve-

rem redigimus. Hunc pulverem ope infundibuli vitrei, quod rostro incurvo praeditum est, in parvam retortam luto obductam immittimus, quo facto per idem infundibulum unciam dimidiam acidi phosporici, secundum praeceptum, quod infra dabimus, parati atque ad olei similitudinem accedentis infundimus, tum utrumque paululum agitatum leni igne destillamus, quo fit, ut acidum nitricum fumos non exhalans et ponderis circiter 1,200 in excipulum leviter adjunctum transeat.

Una hujus acidi gutta cum centum guttis aquae destillatae bis agitatur; hujus vero liquoris gutta una cum centum guttis spiritus vini, uti supra indicatum est cum aqua mixti, eodem modo agitatum decies millies explicatur, quae attenuatio signo 2 notanda est. Jam vero attenuationes spiritus vini non diluti ope ad partem decillionesimam, id est, ad tricesimam attenuationem, quae X notatur, produci possunt. Hujus remedii a medicis homoeopathicis non nisi pars minima guttae de attenuatione sextillionesima (VI.), vel octillionesima (VIII.), vel decillionesima (X.) adhibetur. Aegroti, qui facillime acido nitrico afficiuntur, decimam tantum attenuationem ferunt.

Hoc remedium saepenumero ultra quadraginta dies efficax est.

Acidum phosphoricum.

(*Phosphorsäure, Knochensäure.*)

Novem attenuationes.* (III.)

Librae uni ossium calcinatorum atque in frusta parva comminutorum in vase porcellano confecto libra una acidi sulphurici fortissimi adfunditur, quae mixtura primum intra viginti quatuor horas bacilli vitrei ope pluries versatur, deinde vero duabus cum libris spiritus vini optimi mixta atque attenuata e sacco linteo, quo recipienda est, inter duas tabulas politas, magnis ponderibus impositis, exprimitur. Quod remanet in sacco denuo duabus spiritus vini libris attenuandum est; quod vero inde exprimitur, priori liquori adfusum per aliquot dies reponatur, ut clarum et limpidum fiat. Omnis ita faecibus purgatus liquor ignis ope in patera porcellanea inspissari, inspissatus vero igne candente liquefieri debet. Acidum phosphoricum fusum, quod crystallorum puritatem prae se ferre debet, dum calet, in frusta parva comminutum in vase vitreo bene clauso raponendum est, cum aëre accedente brevi et plane quidem in laticem paulo spissiorem mutetur.

Nonaginta guttas aquae destillatae cum decem guttis spiritus vini commiscendo, atque in hoc liquore acidi phosphorici granum unum solvendo et bis agitando, prima attenuatio constituitur. Reliquae attenuationes in octo

sequentibus lagenulis spiritu vini non diluto parantur.

Aptissimam dosin guttae partis trillionesimae pars minima praebet. Tempus, quo vires suas in morbis chronicis expromit, ultra quindecim dies extenditur.

Nimia acidi phosphorici efficitas camphora mitigatur.

Acidum sulphuricum. (*Schwefelsäure.*)

Tres attenuationes. (I.)

Acidum sulphuricum vulgare, quale venditur in officinis, quia plerumque est impurum et fusci coloris, nec non vapores albidos exhalat, primo purgandum est, quod fit repetita ex retorta vitrea balneo arenae immersa destillatione, quo in opere perficiendo cautissime versandum est.

Attenuationes quemadmodum parari debeant, indicare superfluum est, cum idem, quod de acido phosphorico diximus, commode huc transferri possit. Pars perparva guttae unius de tertia attenuatione dosis est sufficiens.

Aconitum napellus L.

(*Sturmhut, Eisenhut.*)

Viginti quatuor attenuationes. (VIII.)

Haec planta perennis, quae praecipue in montibus crescit, apud nos in hortis colitur. Folia opposita, petiolata, quinquepartita, glabra; incisiones tripartitae, an-

gustae, lineares, obtuse acuminatae; facies superior fusca et nitida; facies inferior laete viridis ac nitida; flores coerulei racemum simplicem, brevem, confertum et erectum constituunt.

Floret mensibus Iulio et Augusto, quo tempore ad usum homoeopathicum colligenda est.

Succus e recente herba expressus cum pari quantitate spiritus vini miscendus est, ut viginti quatuor horis praeterlapsis liquor limpidus et clarus inde possit defundi. Una ejus gutta cum centum guttis spiritus vini bis agitata primam constituit attenuationem. Eadem regula observanda est in viginti tribus, quae sequuntur, lagenulis, quarum ultima partem octillionesimam (VIII.) continet.

Hoc remedio dum utimur, necesse est, ut frigidum observetur regimen, simulque omnia, quae viribus medicis pollent, ne exceptis quidem plantarum acidis, removeantur. Quamquam tempus, per quod efficax sese praestat, duodequinquaginta horas non superat, neque igitur curationi morbornm chronicorum satis idoneum remedium est, haud raro tamen etiam in his in auxilium vocetur orportet.

Guttae partis octillionesimae pars minima in morbis acutis, in chronicis vero pars quintillionesima vel sextillionesima aptam constituit dosin.

Vis hujus veneni perniciosa acidis plantarum vel vino avertitur.

Aethusa cynapium L,

(Coriandrum cynapium Roth. *Hundspetersilie, Gartenschierling.*)

Novem attenuationes. (III.)

Haec planta, quae in hortis nostris apio petroselino intermixta crescit, ab hoc non nisi foliis acutioribus distinguitur, atque eo, quod contrita et contusa insuavem spargunt odorem, allii odori similem.

Superficies foliorum superior fusci in viridem vergentis coloris, inferior autem nitidissima est.

Tota planta eodem modo, quo aconitum, praeparanda est. Quoniam vero vires ejus in corpus sanum nondum satis sunt cognitae atque exploratae, neque tempus, intra quod remedium has expromit, neque dosis ejus definiri possunt.

Agaricus muscarius L.

(*Der gemeine oder rothe Fliegenschwamm.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Stipes inferiore sua parte volva, superiore vero annulo circumdatus albi est coloris; pileus laete coccineus et nitidus, initio valde fornicatus, deinde autem fere planus albas ostendit verucas. In tota crescit Europa inter virgulta nec non in locis siccis, arenosis et montosis. Initio autumni colligendus est.

Stipes et pileus bene purgati remota superficie in frusta comminuuntur, atque comminutis par spiritus vini quantitas infunditur. E

tinctura tribus diebus post a faecibus defusa attenuationes eodem modo uti in aconito ad partem quadrillionesimam producuntur.

Aliquot globuli e saccharo et amylo confecti, qui attenuatione quadrillionesima sunt imbuti, dosin constituunt.

Agnus castus vitex L.

(*Der gemeine oder europäische Müllen, Keuschlamm, Mönchspfeffer.*)

Novem attenuationes. (III.)

Caulis fructicosus, ramosus, cinerei in fuscum vergentis coloris, pilis tenuissimis, albidis consitus; folia digitata, septenata quinatave, lanceolata, fere integerrima, superficie superiore glabra, viridia, inferiore vero glauca, subvillosa; flores brevibus pedunculis instructi, coerulei vel purpurei, suaveolentes; spicae panniculatae.

Apud nos in hortis tantum crescit atque hyeme in topiariis colitur. Inde a mense Julio ad Septembrem colligendus est.

Ex foliis tantum et floribus succus exprimitur atque cum pari spiritus vini quantitate commiscetur; liquor limpidus horis viginti quatuor praeterlapsis defundendus est. Attenuationes, uti saepe indicatum est, parari debent.

Dosis est in morbis chronicis pars centesima ad millionesimam, in acutis vero billionesima.

Allium sativum L. (*Knoblauch.*)

Una tantum attenuatio. (1.)

Corolla sexpartita, patens; spatha multiflora; umbella congesta; capsula supera; (flores capitati aut umbellati;) folia caulina, plana; umbella bulbifera; caulis planifolius, bulbifer; bulbus compositus; stamina tricuspidata.

Apud nos in hortis occurit.

E tota planta, inde a mense Junio ad Augustum collecta, eodem modo, uti e reliquis, tinctura paratur.

Ambra grisea.

(Ambra ambrosiaca L. *Graue Ambra.*)

Sex attenuationes. (II.)

Ambra genuina, uti probabile est, materia sebacea, in vesica fellea physeteris macrocephali nata, in intestinis hujus piscis reperitur. Optima in oris Madagascaris et Sumatrae post procellas maritimas e mari colligitur. Parvae sunt glebae, asperae et opacae, quae aqua leviores, fungosae, facili opera in asperas atque inaequales particulas comminui possunt; extrinsecus coloris sunt medii inter fuscum et cinereum; intrinsecus luteis, rufis et nigris striis distinctae, interspersis parvis maculis albidis, gravem odorem spargentibus; si digitis tanguntur, aliquam habent cum adipe similitudinem.

Granum unum ejus eodem modo, quem supra remediis antipsoricis adhibendum esse diximus, (vide de modo remedia parandi in universum) cum centum sacchari lactis granis terendo commiscetur, atque in duabus, quae sequuntur, attenuationibus parandis easdem sequimur leges. Prima fluida attenuatio spiritus aqua diluti ope fit; reliquae vero, ad partem usque billionesimam, ratione a nobis jam indicata obtinentur.

Camphora, nux vomica et pulsatilla ejus vires compescunt.

Dosis est plerumquae millionesimae partis unius grani pars minima; iis, qui facillime irritantur, tantum pars billionesima danda est. Vires suas per tres saltem hebdomades expromit.

Ammonium carbonicum.

(*Ammoniumsalz, flüchtiges Laugensalz.*)

Duodeviginti attenuationes. (VI.)

Lagena paulo altior, leviter clausa, quae uncia dimidia ammonii muriatici atque pari quantitate natri crystallini, terendo commixtorum, repleta est, in aheno ferreo eatenus arenae immittatur, quo pertinet mixtura, deinde autem subdito igne ammonium in superiorem lagenae partem attollatur. Lagena fracta remedium eximatur.

Amonium carbonicum eodem modo, uti ambra, in attenuationes redigitur.

Camphora soluta, naribus admota, nimiam ejus efficacitatem coërcet.

Aliquot globuli e saccharo et amylo confecti atque sextillionesima attenuatione imbuti apta censentur dosis. Per triginta sex dies atque ultra efficax sese praestat.

Anacardium orientale.

(Semecarpus anacardium L. *Elephantenlaus, Malaccanuss.*)

Sex attenuationes. (II.)

Est arbor pulchra et alta, quae corticem habet cinereum. Nuces sunt laeves et duplici putamine praeditae, quorum alterum interius nucleum album et dulcem includit, alterum externum nigri est coloris et nitidum.

E seminis in pulverem subtilem redacti granis quinquaginta ope mille guttarum spiritus vini intra septem dies tinctura paratur. Hujus tincturae gutta una cum quingentis spiritus vini guttis bis agitata secundam praebet attenuationem, seu partem decies millesimam. Reliquae attenuationes secundum regulas saepius indicatas conficiendae sunt.

Dicunt, camphora vires ejus apte posse compesci. In morbis acutis sexta, in chronicis vero tertia attenuatio adhibenda est, monemus tamen, hanc interdum nimis fortem esse. Remedii efficacitas saepenumero ultra dies viginti et unum producitur.

Angelica sativa.

(Angelica archangelica L. *Wahrer Engelwurz.*)

Quatuor attenuationes. (I.)

Haec planta perennis in montibus Europae septentrionalis, Helvetiae atque in jugis montium Pyrenaeorum crescit. Radix ejus magna, longa, crassa, superiore sua parte fusiformis, valde ramosa et fibrosa, externam superficiem fuscam vel rufam et siccata rugis secundum longitudinem productis asperam exhibet, intus vera alba est et parvulis maculis luteis distincta.

Haec radix in pulverem redacta eodem modo, uti semina anacardii, tincturae parandae adhibetur.

Angusturae cortex.

(Angustura; Bonplandia trifoliata Willden. *Angustura.*)

Novem attenuationes. (III.)

Corticis hujus arboris, quae crescit in America meridionali, prae caeteris ea frusta ad usum medicorum eliguntur, quae lineam circiter unam crassa et parum curvata, exteriore superficie, quae paululum edita est, integumento albido et facile detrahendo praedita atque sulcis transversis interrupta, interiore vero, quae cava est, laete fusca, lutea, fragilia, fractaque cinnamomeo colore tincta et parvis foraminibus distincta sunt. Praeterea odorem spargunt aromati-

cum quidem, sed injucundum et gravem, atque saporis sunt ardentis, aromatici et amari; in pulverem redacta colore suo ad similitudinem pulveris rhei accedunt.

E quinquaginta granis ope mille guttarum spiritus vini intra dies sex sine ignis auxilio tinctura extrahitur, qua utimur in medicina, postquam apte diluta est.

In morbis chronicis partis billionesimae pars minima, in acutis pars trillionesima dosis est. Potu e fabis arabicis parato efficacitas ejus tollitur.

Anisum stellatum.

(Illicium anisatum L. *Sternanis.*)

Fructus, qui stellis sunt similes, sex vel octo capsulis, radiorum instar divergentibus et compressis, constituuntur; quaevis capsula nucleum durum, ovatum, paululum compressum, colore et figura seminibus lini similem, sed his multo majorem et pinguem includit. Odorem spargunt gravem et jucundum; saporis sunt dulcis et aromatici.

Semina in pulverem redacta modo eorum, quae angustura nobis suppeditat, parantur.

Antimonium crudum.

(Stibium sulphuratum nigrum. *Rohes Spiessglanz, Schwefelspiessglanz.*)

Duodeviginti attenuationes. (VI.)

Antimonium, si purum est, albissimo nitet colore, duritiei est mediocris, ceterum autem,

cum sit fragile, in pulverem facile potest converti. Compages ejus lamellas exhibet, quae vel in externa superficie conspicuae sunt.

De hoc metallo praeparando vide remedia antipsorica. In morbis diuturnis, in quibus maxime conducit, sexta et nona attenuatio, in acutis vero summae attenuationes adhibentor.

Efficacitas ejus ad minimum per dies quatuordecim producitur, quod ipse expertus sum, cum vel minima dosi usus eram.

Hepar calcis atque fortasse hydrargyrum ei objicienda sunt.

Antimonium sive Stibium tartaricum.

(Tartarus stibiatus; tartarus emeticus. *Weinsteinsaures Spiessglanz, Brechweinstein.*

Sex attenuationes. (II.)

Est sal triplex, quod constituitur acido tartarico, kali et oxydulo antimonii. Paratur secundum pharmacopoeam Borussicam parem quantitatem tartari depurati et croci antimonii in vase porcellaneo, aqua adfusa, coquendo, deinde liquorem percolando et saepius reponendo, ita ut crystalli conflari possint; qui quidem crystalli parvi, pellucidi, firmi, perfecte albi, saporis parum metallici et ingrati, quatuor vel saepius tribus praediti sunt angulis.

Centum grana sacchari lactis cum quindecim circiter guttis aquae destillatae in mortario subi-

guntur in pultem tenacem, atque huic granum unum tartari emetici ope pistilli humidi immiscetur. Haec mixtura, nisi plus, quam pars millionesima requiratur, ratione supra indicata in pulverem redigenda est; ulteriores vero attenuationes fluidae esse debent.

Plerumque hactenus usus sum quinta et sexta attenuatione, quas etsi vel in morbis chronicis sufficere cognovi, nolo tamen negare, occurere posse morbos, in quibus partem millionesimam adhibere oporteat.

Pulsatilla, ipecacuanha et asa foetida vires ejus coërcent.

Argentum foliatum. (*Blattsilber.*)

Sex attenuationes. (II.)

Argentum foliatum, si purum est atque genuinum, luci obversum coeruleo splendeat colore et pellucidum sit atque perfecte acido nitrico solvatur necesse est. Purissimo tantum atque pondo octo unciarum (sechzehnlöthig) in homoeopathia utimur.

De modo hoc remedium parandi vide medicamenta antipsorica.

Dosis est in morbis chronicis secunda attenuatio; in acutis vero pars guttae minima sequentium attenuationum.

Aristolochia.

(Aristolochia clematitis L. *Osterluzey.*)

Una attenuatio.

Haec planta ubique in fossis atque prope sepimenta nec non inter virgulta Germaniae crescit.

A mense Majo ad Iunium colligenda est.

Succo Aristolochiae recens expresso utimur, in quo praeparando easdem regulas, quas in reliquis plantis indicavimus, observamus.

Armoracia.

(Cochlearia armoracia L. *Meerrettig.*)

Huc referri debent, quae diximus de aristolochia.

Utriusque medicamenti in corpus sanum vires nondum satis sunt exploratae.

Arnica montana L.

(*Wohlverleih.*)

Sex attenuationes. (II.)

In homoeopathia eas radices adhibemus, quae crassitie sua ad pennae tenuis similitudinem accedunt; externa sua facie striis distinctae, fuscae vel rubidae et asperae, intus vero albidae sunt: praeterea inaequales paucos agunt ramos, atque ut plurimum secundum longitudinem uno tantum latere multis et proceris fibris obsitae sunt.

In jugis montium planis inter virgulta planta crescit.

Radices in pulverem redactas integras atque incorruptas conservare possumus, regulas,

quas, ubi de parandis remediis generatim locutus sum, exposui, strenue sequendo. E quinquaginta granis ope mille guttarum spiritus vini intra aliquot dies tinctura extrahenda atque extracta, uti saepius demonstravimus, ulterius attenuanda est.

Minima pars guttae partis billionesimae dosis est.

Camphora ei officit, vinum vero vires ejus perniciosas auget.

Arsenicum album. (*Arsenik.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Arsenicum metallum est fragile, lamellis conflatum; recens fractum albido nitet colore. Inter omnia metalla facillime conjungitur cum oxygenio, neque tamen hac conjunctione perfectum nascitur oxydum, qua re a nonnullis chemicis non oxydis, sed acidis imperfectis adnumeratur.

Granum unum arsenici albi in pulverem redacti cum aquae destillatae drachmis sex in longiore et tenuiore lagena super flamma coquitur, donec perfecte solutum est. Aqua coctione in vapores mutata restituitur, deinde par spiritus vini quantitas (drachmae sex) additur, et guttarum numero definito, tantum de mixtura, quae pari quantitate aquae atque spiritus vini fortissimi (85° ad 90°) paranda est, paulatim adfunditur, ut totus liquor ad numerum mille guttarum accedat. De hoc liquore guttae decem in lagenam, quae jam nonaginta guttis

spiritus vini repleta est, instillamus, atque huic mixturae bis agitatae signum 10,000 (2) adscribimus. Reliquae attenuationes in duodetriginta lagenis, quae sequuntur, legibus consuetis parandae sunt.

Magna ejus dosis efficacitatem suam per sex fere hebdomades, minor vero ad quatuordecim dies retinet.

Dare solemus guttae partis decillionesimae partem minimam.

Ipecacuanha et nux vomica arsenico opponuntur. Veneficia multo arsenico perpetrata kali oleo immixti magna quantitate, vel hepatis calcis soluti usu nec non lactis pinguis larga potatione irrita redduntur.

Artemisia absinthium L. (*Wermuth.*)

Haec planta perennis ubique in Germania locis siccis crescit. Folia sunt incana, inferiore superficie alba et villosa. Mensibus Iulio atque Augusto colligenda est.

Tincturae parandae succus e tota planta recens expressus adhibetur. Hujus tincturae non attenuatae guttam parvam adhibemus.

Artemisia vulgaris L.
(*Der gemeine Beyfuss.*)

Haec quoque planta ubique in Germania crescit atque inde a mense Iulio ad Septembrem colligenda est.

De praeparando hoc remedio vide plantam modo descriptam.

Asa foetida.

(Ferula asa foetida L. *Der stinkende Asand.*)

Novem attenuationes.

Haec planta perennis in Persia crescit et apud nos in hortis colitur. Radix ejus dissecta gummi-resinam, id est liquorem lacteum, solis radiis siccandum, nobis suppeditat. Haec resina variis tincta est coloribus, vel fusco, vel luteo, vel rutilo, vel purpureo, intermixtis parvulis granis, quae sunt alba et pellucida atque interdum rotunda.

E quinquaginta granis ope mille guttarum spiritus vini tinctura extrahitur, atque extracta modo consueto attenuatur.

Vires suas ultra quatuordecim dies retinet.

In multis morbis pars billionesima dosis est. Equidem in morbis chronicis partem trillionesimam sufficientem esse inveni.

Opponuntur ei china, pulsatilla atque vis electrica.

Asarum.

(Asarum Europaeum L. *Haselwurzel.*)

Quindecim attenuationes. (V.)

Haec planta perennis, quae fere ubique in Germania crescit, dum floret, et quidem mensibus Martio et Aprili colligenda est. Radix ejus est repens et fibrosa, caulis brevis et villosus, folia longis petiolis praedita, forma sua renibus similia, obtusa, coriacea, superiore sua superficie glauca, nitida, laevia, inferiore vero pallidiora et venis retis instar

contextis distincta sunt. Flos externa superficie villosus et colore, qui medius est inter viridem et rubrum, intus vero fusco et purpureo tinctus est.

Succus recens expressus cum pari quantitate spiritus vini miscetur.

Pars quadrillionesima vel quintillionesima dosis est apta.

Vires ejus camphora atque aceto compescuntor.

Aurum foliatum. (*Blattgold.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Aurum purum et genuinum luci obversum pellucidum apparet atque smaragdinum trahit colorem, nec non acido muriatico oxygenato vel aqua regia solvitur. In homoeopathia auro foliato optimo utendum est.

De modo auri praeparandi vide remedia antipsorica.

Dosis est in morbis chronicis pars centesima vel decies millesima, in acutis vero morbis et in hominibus valde irritabilibus pars parva attenuationis duodecimae.

Efficacitas ejus certe ad diem vicesimum primum producitur.

Barytes. (*Schwererde.*)

Duodeviginti attenuationes. (VI.)

Barytae muriatici crystalli in subtilem pulverem redacti cum spiritus vini partibus sex per breve tempus coquuntur, ut si quid in illis strontitae muriatici supersit, id inde remo-

veatur. Pulvis, qui restat, sex partibus aquae destillatae ferventis solutus ammonio carbonico (forte salis cornu cervi solutione) praecipitatur. Barytes ita praecipitatus saepius aqua destillata abluendus, deinde vero siccandus est.

Hoc remedium eodem modo deinceps attenuandum est, uti aurum.

Globuli aliquot e saccharo et amylo confecti attenuatione, cui inest pars sextillionesima, imbuti aegrotis dari solent.

Barytes sese ultra duodequinquaginta dies efficacem praestat.

Camphora soluta, naribus saepius admota, nimias ejus vires temperat.

Barytes aceticus. (*Essigsaure Schwererde.*)

Tres attenuationes. (I.)

Barytes carbonicus purus acido acetico puro solvitur, fluidae partes, quoad satis est, ignis ope removentur, ut crystalli conflari possint. (Barytes carbonicus optime potest obtineri, tractando baryten muriaticum, qui ubique venditur, ope kali carbonici purissimi.)

Granum unum de hoc corpore medico centum guttis aquae destillatae solvitur; idem valet de altera attenuatione.

Quamquam barites aceticus efficacitate a baryta puro superatur, tamen parva secundae attenuationis gutta nimis fortis est dosis, quare mihi persuasum est, in plerisque morbis, quod

experientia me docuit, guttae partis millionesimae partem minimam sufficientem esse.

Quoniam ejusmodi remedia soluta facillime corrumpuntur, baryten aceticum cum saccharo lactis conterere consultius est. Parvam hujus remedii quantitatem aqua communi recipere minime licet; proinde cavendum est, ne sumto remedio aqua illico bibatur, quippe qua illud mutaretur.

Belladonna.

(Atropa belladonna L. *Belladonneschlafbeere, gemeine Wolfskirsche, Tollkirsche.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Est planta perennis, quae in saltibus Germaniae crescit. Eae plantae, quae in solo aridiore hortorum vel in collium declivitate coluntur, iisdem viribus instructae sunt, quibus silvestres. Caulis tres quatuorve pedes altus, herbaceus, teres, tripartitus est, rami vero bipartiti sunt; folia brevibus petiolis cum caule conjuncta, ovata et glabra, flores pedunculis instructi et in axillis foliorum haerentes intus purpurei, excepta ima parte, quae lutea est, exteriore vero superficie coloris sunt viridis in rubrum vergentis et pilis hirsuti. Mensibus Junio, Julio et Augusto, quibus floret, colligenda et recens exprimenda est.

Eodem modo paratur, uti omnes plantae recentes.

Guttae partis decillionesimae pars minima dosis est; tamen in morbis diuturnis atque in hominibus robustis fortiorem licet adhibere attenuationem.

Hoc remedium per tres hebdomades atque ultra efficax esse solet.

Opponuntur ei opium, hyoscyamus, vinum, pulsatilla, hepar sulphuris, hydrargyrum. Aegritudo, quam belladonna gignit, aceto pejor redditur.

In veneficiis belladonnae ope perpetratis optimum est, larga uti fabarum arabicarum potatione, quo fit, ut venenum vomitu, qui insuper ciendus est pennae plumulis, rejiciatur.

Bismuthum. (Wismuthum, *Wissmuth.*)

Duae attenuationes. (2).

Bismuthum metallum est fragile, coloris albi, cui aliquid admixtum est rubri, lamellis latis conflatum, exigua vi elastica praeditum, quod nullum fere edit clangorem, ac facile liquescit.

Solvendum est satis magna acidi nitrici quantitate, quae solutio largae satis multitudini aquae purae, quae illam quinquagies vel centies superet, guttatim instillata bene agitanda est. Sal hac ratione praecipitatum, oxydum bismuthi, aliquot horis post a liquore supernatante separandum est, deinde vero totidem partibus aquae purae, cui tamen aliquot guttae kali soluti admixtae esse debent, adfusis, sal bene agitatur. Id quod hac via aliquo tempore post decidit, ab omni

liquore liberatum inter chartam bibulam, ponderibus insuper impositis, perfecte siccatur.

In utraque attenuatione cum saccharo lactis conterenda regulae saepius indicatae observari debent.

Quam minima pars secundae attenuationis fini proposito satisfaciet.

Bryonia alba. L. (*Gichtrübe, Zaunrübe.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Haec planta perennis ubique in Germania inter virgulta et sepimenta prope vicos crescit. Medici homoeopathici radice tantum utuntur, quae longa, fere fusiformis, permagna et crassa, exteriore sua facie luteola atque striis transversis cincta, intus vero alba, carnosa et, verno inprimis tempore, lacteo succo repleta est. Dissecta annulos alternos et radios exhibet. Necesse est, ut, priusquam planta floret, itaque ante mensem Junium, evulsa exprimatur.

De parando remedio vide quae de remediis homoeopathicis generatim diximus.

Per duas hebdomades efficax esse solet.

In morbis valde acutis guttae partis decillionesimae pars minima, in chronicis vero pars quintillionesima, vel sextillionesima, vel octillionesima, nunquam autem succus non attenuatus adhiberi debet.

Rhus radicans atque camphora ei objiciuntur.

Calcarea acetica.

(Terra calcarea acetica, *essigsaure Kalkerde.*

Conchae crudae per horam integram aqua pura fluviatili coctae atque deinde malleo ligneo fractae aceto destillato solvendae sunt. Acetum, ut perfecte illis saturetur, donec ebulliat, in vase porcellaneo coquitor. Liquor colatus ad partem quintam usque ignis ope removendus est. Coloris est flavi, atque aliquamdiu repositus materiam fuscam viscidamque deponit, quo facto, flavus ejus color redditur clarior. Spiritus vini adfusus medicamentum contra mucorem tuetur.

Gutta hujus remedii integra dosis est interdum nimia. Globuli saccharini decem vel duodecim eo imbuti in plurimis casibus sufficiunt.

Calcarea. (Calcarea carbonica, *Kalkerde.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Granum unum calcis albissimae atque fragilis, qua conchae ostrearum intus conflatae sunt, cum saccharo lactis contritum attenuationibus modo supra indicato parandis adhibetur.

Unus duove globuli e saccharo et amylo confecti attenuatione, cui inest pars sextillionesima, imbuti dosin constituunt. Sunt tamen homines admodum robusti, quibus, si chronicis morbis laborant, octo vel decem vel duodecim globuli dari debent; iis, quorum nervi sunt debiles, ulteriores attenuationes, atque de his parva tantum quantitas, conveniunt.

4*

Efficacitatem suam per quinquaginta dies et ultra retinet.

Solutio camphorae, vel, quod melius est, spiritus nitri dulcis naribus admotus vires dosis nimiae, cujusque quantitas homoeopathiae legibus adversatur, optime compescit. Calcareae aceticae solutioni calcaream carbonicam in medicina exercenda praeferendam esse censeo, cum illa non tam bene atque accurate praeparari, neque ejus dosis recte a medico constitui possit.

Camphora.

(Laurus camphora L., *Kampherlorbeer.*)

Hoc remedium in Japonia e ramis et foliis lauri camphorae in frusta dissectis destillando paratum atque deinde in panes media sua parte perforatos, qui albi sunt coloris et compagis crystallinae, redactum ad nos pervenit. Digitis camphorae, quae friabilis una et tenax est, admotis adipem nobis tangere videmur. Leni calore olei instar liquescit. Dum comburitur, magnam spargit flammam, quae fuliginem atram deponit.

Granum camphorae unum centum guttis spiritus vini solvitur; de hac solutione non attenuata pars guttae minima adhibetur. Cum brevis sit efficacitatis, quoties aliis corporibus medicis objicitur, saepe quidem at parva quantitate dari debet. Quare octavam partem grani unius octo spiritus vini guttis soluti vel tricies, vel vicies, vel duodecies, vel quater intra horam unam dare convenit. Antidotum est, quo

contra diversissima remedia e plantis parata, contra cantharides et contra multa metalla aliasque mineras utimur.

Qui nimia camphorae quantitate sumta in periculo versantur, opio curandi sunt, quemadmodum, qui opio venenati sunt, optime camphora restituentur.

Cancer fluviatilis.

(*Der gewöhnliche Flusskrebs.*)

Auctore Caspario cancer vivus in mortario in pultem contunditur, pulti additur duplex spiritus vini quantitas, quo facto id, quod viribus medicis praeditum est, inde expressum apto loco reponitur. Hujus liquoris guttae tres cum nonaginta septem spiritus vini guttis commixtae primam constituunt attenuationem.

Monendum est, vires hujus remedii nondum satis esse exploratas.

Cannabis. (Cannabis sativa L., *Hanf.*)

Caulis erectus, angulatus, hic ibi brevibus pilis obsitus; folia e regione posita, petiolis cum caule conjuncta, pinnata, quinque foliolis composita, aspera; foliola longa, lanceolata, serrata, nervis distincta; flores albi coloris, qui vergit in viridem. Mensibus Majo, Junio et Julio floret.

Utimur succo ex herba et maris et feminae plantae expresso. Is pari spiritus vini quanti-

tate commixtus per aliquot dies reponitur, ut id, quod limpidum factum est, a faecibus possit defundi. Hujus liquoris guttae pars minima dosis est.

Cantharides.

(Meloë vesicatorius L. sive Lytta vesicatoria Fabric.)

Triginta attenuationes. (X).

Meloë vesicatorius in Europa meridionali, nec non apud nos siccis potissimum annis, mensibus Junio et Julio saepe in fraxino, syringa Persica atque ligustro vulgari invenitur.

E quinquaginta granis horum scarabaeorum in pulverem redactorum, infusis mille spiritus vini guttis, intra hebdomadem loco frigido tinctura extrahitur. Prima attenuatio ex una hujus tincturae atque quingentis spiritus vini guttis paranda est, quae reliquis attenuationibus ratione indicatâ parandis adhibetur.

Efficacitas hujus remedii ultra quatuordecim dies produci solet.

In plerisque morbis partis decillionesimae pars exigua dosis est.

Camphora antidoto utimur.

Capsicum.

(Capsicum annuum L., *Spanischer Pfeffer.*)

Novem attenuationes. (III).

Haec planta annua apud nos in hortis colitur.

E capsularum atque seminum hujus plantae, reliquas enim partes abjicere solemus, in pulve-

rem redactorum granis viginti, quadringentis spiritus vini guttis adfusis, sine caloris ope intra hebdomadem, vas, quo liquorem recepimus, quotidie bis agitando, tincturam paramus. Hujus tincturae guttis viginti granum unum remedii inest.

Guttae partis trillionesimae partem minimam adhibere solemus.

Fortis camphorae tinctura nimias capsici vires compescit.

Carbo animalis. (*Thierkohle.*)

Quindecim attenuationes. (V.)

Ad parandum carbonem animalem corium bubulum carbonibus ardentibus interponendum est, ut comburatur, donec flammae plane exstinctae sint, quo facto corii etiamnum candentis ardor quam primum tabulis lapideis impositis penitus reprimatur, ne aëris accessu nutriatur, neve carbo in cineres mutetur.

Tres primae ejus attenuationes pulveres, quae vero sequuntur, ad quintillionesimam usque, liquidae sunt.

In plerisque morbis unus duove globuli e saccharo atque amylo confecti ea attenuatione, cui inest pars quadrillionesima, imbuti fini proposito satis respondent; in iis vero morbis, ubi nervi nimis sunt irritati, ea attenuatio requiritur, qua pars quintillionesima continetur.

Hoc remedium per viginti imo triginta dies efficax esse solet.

Camphora nimias ejus in corpus vires mitigat.

Carbo vegetabilis. (*Holzkohle.*)

Quindecim attenuationes. (V.)

Cujuscunque ligni carbo, qui bene et per satis longum tempus canduit, iisdem fere semper pollet viribus medicis, quare perinde est, sive petulae sive fagorum sive aliarum arborum ligna carbonem suppeditaverint. Hahnemannus carbones petulae adhibet.

De hoc carbone parando, de temporis spatio, per quod efficax est, atque de remediis ei opponendis idem valet, quod de carbone animali a nobis dictum est.

Singulare est in hoc remedio, quod, nisi in constituenda dosi omnes regulae homoeopathiae strenue observatae fuerint, primis octo vel novem diebus blande tantum, modo remedii, quo aegroti quidem vexatio, non vero morbus ipse tollitur (*Palliativmittel*), corpus afficiat. Quod si acciderit, camphora atque crudae coffeae tinctura ejus vires exstinguendae sunt.

Cascarilla.

(Croton Cascarilla L. *Cascarille.*)

Cortex hujus fruticis tuborum modo convolutus ad nos pervenire solet. Fragilis, exteriore sua superficie rugis asper, coloris albi in cinereum vergentis, lineis transversis distinctus atque lichenibus hic illic obsitus, intus vero fusci vel nigiri fere coloris et laevis est. Fractus paululum ni-

tet atque hoc ipso nitore resinam, qua refertus est, prodit.

Eodem modo, uti omnia corpora sicca, hoc remedium paratur.

Castoreum. (Castor fiber L. *Bibergeil.*)

Est materies sebacea, mollis, unguinosa, coloris sordide aurantiaci, odoris gravis atque singularis, saporis acris, quae siccata fuscum induit colorem et friabilis fit, atque bursis inferioribus iisque majoribus inter anum et pudenda castoris suspensis continetur.

E viginti granis castorei in pulverem redacti quadringintis spiritus vini guttis intra triduum tinctura extrahitur, cujus guttis viginti granum remedii unum inest.

Chamomilla.

(Matricaria chamomilla L. *Chamille, Feldchamille, Hälmerchen.*)

Duodecim attenuationes. (VI.)

Tota haec planta, quae ita est nota, ut ulteriore ejus descriptione plane possimus supersedere, inde a mense Iunio ad Augustum collecta tincturae parandae adhibetur.

Guttae partis quadrillionesimae pars minima dosis est.

Hoc remedium per aliquot dies efficax sese praestat.

Coffeae fabae crudae, semina fabae St. Ignatii, pulsatilla atque aconitum optima sunt antidota.

Chelidonium majus. L. (*Schöllkraut.*)

Planta haec perennis ubique in Germania prope muros, sepimenta et in ruinis crescit. Flores ejus lutei sunt; caulis decerptus liquorem fundit luteum, lacti similem. Radix, qua in homoeopathia utimur, crassitie sua digitum aequat, longas agit fibras, superficie sua rutili in fuscum vergentis, intus vero albi est coloris. Haec quoque acri et luteo scatet succo.

Succus e radice recens expressus pari quantitate spiritus vini miscetur; liquoris ita parati gutta una dosis esse solet.

China.

(Cinchonae officinalis L. *Chinarindenbaum.*)

Quindecim attenuationes. (V.)

Cortex chinae optimus superficiem offert rutilo in fuscum, imo nigrum vergente colore tinctam, quae maculis albis atque saepenumero parvulis lichenibus obsita est; intus cinnamomeum vel rufum colorem exhibens firmus est et laevis. Bonitatis signum habetur, si fractus neque fibras neque pulverem ostendit, sed laevis est atque paululum nitet. Homoeopathici utuntur non solum illo, qui in tenues tubos convolutus est, sed etiam cortice chinae regio; uterque in pulverem redigendus atque eodem modo, uti reliqua remedia sicca, e plantarum regno desumta, tractandus est.

Plerumque unus duove globuli e saccharo et amylo confecti atque attenuatione, cui inest pars quadrillionesima, imbuti sufficiunt; aegrotis, qui valde sunt irritabiles, decima quinta vel ulteriores attenuationes suppeditari debent.

Minoris dosis efficacitas per plures hebdomades producitur.

Ferrum, ipecacuanha, arnica montana, belladonna et veratrum album ei opponuntur.

Cicuta virosa L.

(*Gift-Wütherich*, *Wasserschierling*.)

Triginta attenuationes. (X.)

Haec planta umbellata et perennis ubique locorum in Germania prope fluvios, paludes, fossas, lacus et piscinas crescit. Radix ejus crassa, articulata, alba, multis fibris longis consita et radici apii graveolentis similis atque intus cava laminisque transversis distincta est; caulis erectus, cavus, obscuris striis notatus, viridis et rutilus alte crescit; folia laevia, pinnata, viridia et fere fusca paululum nitent; foliola longa, lanceolata atque dentata; umbellulae multiflorae, flores albi mensibus Julio atque Augusto aperiuntur.

Succus e radice cicutae virosae eo tempore, quo primum florere coepit, recens expressus pari quantitate spiritus vini commiscendus, commixtusque attenuationibus necessariis adhibendus est.

Efficacitas hujus remedii, si vel parvam ejus

adhibueris quantitatem, ad tres fere hebdomades producitur.

Guttae partis decillionesimae pars minima dosis est.

Cina.

(Semen cinae, santonici, contra; artemisia judaica L. *Cinasamen*, *Wurmsamen*, *Zittwersamen*.

Novem attenuationes. (III.)

Frutex est parvus Palaestinae, Arabiae et Numidiae, qui hoc remedium suppeditat, quod Germanico sermone *Zittwersamen* vocatur, quoniam ejus odor aliquam habet cum eo similitudinem, quem radix zedoariae, cui nomen est *Zittwerwurzel*, spargit. Etiam optima cinae semina, quae parva, oblonga, coloris flavi in viridem vergentis et levissima sunt, immixtas habent cauliculorum tenuium, florum et foliorum particulas. Purissima ab oppido Aleppo ad nos perferuntur.

Ex una seminum atque viginti spiritus vini partibus loco frigido per hebdomadem repositis tinctura paratur.

Aliquot globuli e saccharo et amylo confecti atque attenuatione ea, quae partem trillionesimam continet, imbuti, dosin sufficientem constituunt.

Per duodecim dies, et quod excurrit, majores hujus remedii doses efficaces esse solent.

Clematis.

(Clematis erecta L.; flammula Jovis; *Brennwaldrebe.*)

Novem attenuationes. (III.)

Haec planta perennis nonnullis Germaniae locis crescit. Caulis ejus striis distinctus, laevis et ligneus est; folia sibi invicem opposita et pinnata, foliola ovata, lanceolata, acuminata, petiolis praedita, superiore sua superficie fusci in viridem vergentis, inferiore vero pallidioris sunt caloris; flores albi et suavem spargentes odorem paniculam constituunt ramosam, erectam atque ramorum fastigia occupantem. Apud nos in hortis colitur. Floret mensibus Junio, Julio atque Augusto.

Utimur in medicina succo e foliis et caule plantae, dum florere coepit, expresso atque pari spiritus vini quantitate commixto. Horis duodequinquaginta praeterlapsis, id quod limpidum est a faecibus delapsis separatum attenuationibus supra indicatis adhibetur.

In morbis chronicis et in aegrotis robustis pars millionesima dosis est. Hominibus, qui paulo sunt irritabiliores, pars trillionesima datur.

Coccinella.

(Cocionella septempunctata; chrysomela septempunctata L. *Sonnenkäfer*, *Himmelskuh.*)

Coccionella est parvulus scarabaeus, ad globi dimidiati similitudinem accedens. Corpus habet nigrum, elytra rubra, quae septem

maculis nigris distincta sunt. Vivus fugaci atque acri materia scatet, quae e corpore siccato avolat.

Ex una parte scarabaeorum, qui vivi contundendi sunt, viginti partibus spiritus vini adfusis, intra hebdomadem tinctura paratur.

Cocculus.

(Menispermum cocculus L. *Kockelskörner, Kockelssamen.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Hujus plantae seminibus utimur, quae siccata necdum capsulis exemta baccas lauri forma sua, magnitudine vero pisa aequant.

Ex una parte seminum in pulverem contusorum, adfusis viginti spiritus vini partibus, lenis caloris ope tinctura extrahenda atque deinde ad partem quadrillionesimam attenuanda est. Parva hujus pars sufficiens est dosis.

Hoc remedium, ubi majore quantitate adhibetur, per novem dies efficax sese praestat.

Camphora nimias ejus vires compescit.

Coffea arabica L. (*Kaffee.*)

Tres attenuationes. (I.)

Semina coffeae arabicae ejusque optimae (*Levantischer Kaffee*) parva, saepenumero compressa, lutei in album vergentis coloris atque jucundi sunt odoris.

Drachma seminum coffeae arabicae optimorum in lebete ferreo, qui mediocriter calet, in

pulverem est redigenda, quod dum fit, massa aliquoties spathula cornea versetur necesse est. Pulveri ita parato in vase vitreo duodecim drachmae spiritus vini adfunduntur. Octo diebus praeterlapsis liquor ab eo, quod decidit, separandus est. Pulvis, qui in imo vase haeret, pressu ab omni humore liberatus in retorta vitrea cum quatuor unciis aquae destillatae eo usque, coquitur, donec uncia una restet; liquor colatus cum tinctura spirituosa commisceatur. Hujus mixturae guttae viginti guttis spiritus vini octoginta commixtae atque bis agitatae primam constituunt attenuationem.

Salva Casparii auctoritate, qui numerum attenuationum ad partem billionesimam produci jubet, monendum videtur, me nunquam partem millionesimam, qua unum duosve globulos imbutos aegrotis dederam, nimis fortem deprehendisse.

Aconitum napellus, nux vomica, chamomilla et faba St. Ignatii antidota sunt. Casparius, dum suadet, ut granum unum seminum coffeae arabicae in pulverem redactorum cum sacchari lactis centum granis terendo commisceatur, Hahnemanno assentiri videtur, qui contendit, ea corpora medica, quae non nisi sicca obtineri possint, in pulverem esse comminuenda.

Colchicum autumnale L.

(*Herbstzeitlose, nackte Wiesenjungfrau, Lichtblume.*)

Quindecim attenuationes. (V.)

Haec planta perennis, quae multis Germaniae locis crescit, apud nos in hortis saepe occurrit. Radix bulbus est; folia plerumque tria eaque lanceolata, obtusa et striis notata verno tantum tempore atque aestate reperiuntur. Flores roseo tincti sunt colore. Bulbus ovum aequat vel globum, interdum paululum compressus est, et crassitiem pollicis haud superat; ceterum carnosus, multo succo refertus, in superficie luteus, intus albidus, duobus involucris, quae tenuia et sicca sunt, circumdatur, quorum exterius fuscum est, interius autem, laetiore tinctum colore, lacteo succo scatet.

Bulbos verno tempore terrae exemtos, dum recentes sunt, purgentur necesse est, ut deinde ad modum plantarum recentium tractari possint.

In morbis acutis pars trillionesima, vel quadrillionesima, vel quintillionesima, in chronicis vero millionesima, vel billionesima adhiberi debet.

Hoc remedium per plures hebdomades efficax esse solet.

Colocynthis.

(Cucumis colocynthis L. *Koloquinten.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Hujus plantae annuae, quae in terris calidissimis crescit, fructus externo suo involucro

privati ad nos perveniunt; rotundi, laeves, viridis in luteum vergentis coloris, figura sua et magnitudine poma aequant; siccati superficie alba et corio simili pultem mollem atque albam circumdant.

E fructibus in pulverem redactis ea via, quam siccis corporibus generatim convenire ostentum est, sine caloris ope intra hebdomadem, singulis diebus bis repetita agitatione, tincturam paramus.

Duo vel tres globuli attenuatione ea, cui inest pars octillionesima vel decillionesima, imbuti dosin constituunt.

Hoc remedium per longum tempus efficax esse solet.

Conium maculatum L.

(*Schierling; Fleckenschierling.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Haec planta biennis ubique in Germania crescit. Caulis ejus, qui ad altitudinem quatuor vel sex pedum accedit, proinde uti petioli, levibus striis distinctus atque inferiore praecipue sua parte rubris et fuscis maculis conspersus est; foliola pinnatifida, dentata, superius viridi colore in fuscum vergente tincta paululum nitent, inferius autem pallidioris sunt coloris et nervis mediis prominentibus notata. Umbellae multis floribus conspicuae apices pedunculorum occupant, qui radiorum instar divergunt; flores albi mensibus Junio, Julio et Augusto aperiuntur.

Ad parandam tincturam folia et caulem plantae florentis adhibemus.

Equidem ad hoc usque tempus parte trillionesima fere semper usus sum, neglectis ulterioribus attenuationibus.

Potus seminum coffeae conio maculato opponendus est.

Copaivae balsamum.

(Copaifera officinalis L. *Kopaivabaum, Kopahu-Balsam.*)

Balsamum copaivae est succus, qui e plagis trunco arboris calidissima aestate inflictis abunde emanat; liquida est resina coloris laete flavi, quae clara atque perfecte pellucida densitate syrupum aequat.

Gutta ejus centum spiritus vini partibus solvenda est, cujus liquoris minima guttae unius pars dosis est sufficiens.

Crocus sativus L. (*Safran.*)

Tres attenuationes. (I.)

Apud nos in hortis colitur. Pistilla florum siccata adhibemus, quae fila aequant tenuia, superiore sua parte latiora atque sibi invicem intertexta; ceterum media parte rubri sunt coloris in fuscum vergentis, extremis vero albescunt.

In parandis tinctura atque attenuationibus saepe jam indicatas regulas sequamur oportet.

Pars millionesima dosis est.

Opio antidoto utimur.

Croton tyglium L.

(*Tiglibaum, Purgiercroton.*)

Quindecim attenuationes. (V.)

Semina hujus arboris, quae crescit in Sina atque in insulis Malabar et Ceylon, figura sua ovis sunt similia et paululum angulata atque involucro laevi, tenui et fusco nucleum oleosum, in duas partes discedentem circumdant.

Parti uni seminum contusorum viginti partibus spiritus vini adfusis aliquot diebus post tinctura defunditur.

Oleum crotonis eodem modo, uti remedia antipsorica, ad partem millionesimam attenuandum est.

Cuprum metallicum. (*Kupfer.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Cuprum metallum coloris singularis, qui medius est inter fuscum et rubrum, tenax, densum, durum atque elasticum in tenuissimas laminas duci potest, atque aëri humido expositum cum oxygeneo conjungitur.

Granum hujus metalli unum in lapide tenerioris compagis sub aqua terendum est, ut inde attenuationes modo remediorum antipsoricorum parari possint. (Vide, quae diximus de parandis remediis homoeopathicis in universum.)

Guttae partis sextillionesimae, vel octillionesimae, vel decillionesimae pars minima secundum morborum naturam atque aegrotorum conditionem danda est.

Puri metalli efficacitas spatio quindecim dierum, vel trium hebdomadum circumscribitur.

Semina cocculi, nux vomica, hepar sulphuris, ipecacuanha, hydrargyrum, belladonna, dulcamara, et china antidota sunt.

Remedium ratione indicata paratum cuprum aceticum superfluum reddit, cujus tamen, ne quid a lectore desideretur, hic mentionem faciam. Acido acetico puro aerugo viridis eo solvenda est, quoad nihil amplius recipi possit, quo facto acidum leni igne dissipandum est, atque crystalli virides interim conflati charta bibula siccandi, siccatique reponendi sunt. Attenuationes hujus remedii eodem modo obtinentur, quem in superiore remedio indicavimus.

Cyclamen Europaeum L.

(*Erdscheibe, Schweinebrod.*)

Quatuor attenuationes. (1/I.)

Haec planta apud nos tantum in hortis occurrit. Folia ejus longis petiolis instructa, perfecte rotunda, superiore superficie splendide viridia et margines versus maculis albis conspersa, inferiore autem superficie rufa sunt. Flores longis pedunculis, qui e radice enascuntur, inhaerent; radix magna, plana, placentae similis, bulbosa, tuberosa, laevis, exteriore superficie fusci, intus vero albi est coloris. Autumni tempore, quo maximis pollet viribus, colligenda est.

Succus e recenti radice expressus atque pari

quantitate spiritus vini commixtus tincturis parandis adhibetur.

Guttae partis millionesimae pars minima saepenumero dosis est justo fortior.

Digitalis purpurea L. (*Rother Fingerhut.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Haec planta accuratiore descriptione non eget, cum ob florum pulchritudinem et splendorem in hortis nostris ubique fere occurrat.

Digitalis purpureae folia tantum in homoeopathia adhibentur, quae ut exspectationi nostrae satisfaciant, antequam planta floret, mense Majo colligenda et quam primum exprimenda sunt.

In plerisque morbis guttae partis quintillionesimae pars minima, in morbis vero acutis atque aegrotis, qui valde sunt irritabiles, pars decillionesima dari debet.

Dosis tam parva efficacitatem suam per plures dies, major vero, quam par est, per plures hebdomades conservare solet.

Dulcamara.

(Solamen dulcamara L. *Kletternder Nachtschatten, Bittersüss.*)

Viginti quatuor attenuationes. (VIII.)

Dulcamara ubique in Germania locis humidis et paludosis ad ripas fluminum umbrosas crescit. Magnam adipiscitur altitudinem, et ramos habet graciles, laeves et teretes. Folia petiolis cum ramis con-

juncta et laevia sunt; inferiora, quae cordi similia sunt figura, integerrima, superiora lanceolata vel triloba. Flores violacei racemos constituunt. Floret mensibus Julio atque Augusto.

Succus e teneris ramis et foliis plantae, quae florere coepit, expressus secundum regulas promulgatas praeparari atque attenuationes inde confectae bis agitari debent.

Duo vel tres globuli e saccharo et amylo confecti et gutta, cui inest pars octillionesima, imbuti dosin constituunt.

Hoc remedium, quod vel parva quantitate adhibitum per duodecim fere dies efficax est, si majore datur aegrotis quantitate, per longius etiam tempus efficacitatem suam retinet.

Euphorbia officinarum L.

(*Euphorbium, Wolfsmilch.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Hoc corpus medicum liquor est lacteus, quem nobis plures euphorbiae in calidissimis Africae partibus crescentes et, uti valde probabile est, euphorbia antiquorum L. et euphorbia Canariensis L. nobis largiuntur. Est gummi-resina pluribus glebis luteolis, siccis, cerae similibus, nullo nitore praeditis, friabilibus composita. Hisce glebis plerumque partes terreae et ligneae et his similes inhaerent. Dum in pulverem eas contundimus, faciem contra maximam ejus et

perniciosissimam, qua praeditae sunt, acrimoniam tueamur necesse est.

Gummi euphorbium eodem modo parandum est, uti corpora, quae in pulverem rediguntur; unam quidem partem cum viginti partibus corporis, quo recipitur, commiscere solemus.

Guttae partis octillionesimae partem minimam dosin nimis fortem reperi.

Remediis adnumerari debet, quorum efficacitas per longissimum temporis spatium producitur.

Frequens usus succi citreorum vel camphora antidota sunt.

Euphrasia officinalis L. (*Augentrost.*)

Haec planta in siccis crescit pratis, montibus et silvis. Radix ejus perparva multas agit fibras; caulis teres, raris pilis obsitus, quatuor vel quinque pollices altus est; parvula folia petiolis carent, ovata, acutis dentibus instructa atque tenuibus pilis obtecta sunt; floribus in axillis foliorum haerentibus ut plurimum albis nulli fere sunt pedunculi. Floret mensibus Julio, Augusto et Septembri.

Ad usum homoeopathicum mense Julio colligenda est, namque serius tenacior fit atque lentior, ita ut coacti simus, priusquam succus exprimi possit, herbam serius collectae plantae primum in pultem tenuem contundere atque deinde aliquid spiritus vini, quo attenuetur, adfundere.

Guttae hujus tincturae pars minima dosis est.

Evonymus Europaeus L. (*Pfaffenhütlein.*)

Sex attenuationes. (II.)

Hic frutex in omnibus Europae partibus inter virgulta et prope sepimenta occurrit; folia petiolis cum caule conjuncta, longe lanceolata, dentata et laevia sunt; pedunculi e foliorum axillis enati flores albos quatuor staminibus totidemque petalis luteis praeditos sustentant.

Fructus, dum rubescunt, quod fit mense Augusto, exprimendi sunt. Cum vero parcus iis insit succus, priusquam contundantur, aliquid spiritus vini admisceatur necesse est, ut deinde e tribus hujus tincturae guttis cum nonaginta septem guttis spiritus vini commixtis prima attenuatio parari possit.

Casparius in morbis acutis partem billionesimam adhibebat. Num hoc recte fecerit, nec ne, non penes me est judicium, cum mihi nondum occasio hoc remedio utendi oblata fuerit.

Faba pichurim.

Tres attenuationes. (I.)

Probabile est, fabas Pichurim fructus esse lauri pichurim L., arboris in terris Paraguay et Brasilia crescentis, vel laurasteri Amboinensis Rumph. Hae fabae ovatae, unum vel unum et dimidium pollices longae atque dimidium vel unum fere pollicem latae, altero latere convexae, altero concavae, utrimque obtusae, plerumque sulco secundum lon-

gitudinem producto notatae, exteriore superficie laeves, rugosae, coloris nigri in fuscum vel fusci in luteum vergentis, intus vero rutilae et fuscis maculis distinctae sunt. Viginti partes spiritus vini uni parti fabarum adfusae tincturam constituunt aromaticam, rubri coloris in fuscum vergentis.

Ferrum metallicum. (*Eisen.*)

Sex attenuationes. (II.)

Ferrum purum splendore fulget singulari. Color ejus medius est inter album et cinereum; fractum nitet et asperas quasi ostendit fibras. Parvis corpusculis rotundis et laminis exiguis videtur esse conflatum. Quamvis durissimum sit, tamen tenax est et facili opera duci potest. Hahnemanno auctore (vid. ejus *Chronische Krankh.* tom. II. pag. 4.) eadem ratione qua cuprum paratur. Pars minima guttae de solutione, cui inest puri metalli pars billionesima, dosis fere nimia est. Ad ferrum aceticum parandum laminae ferri tenuissimae carbonibus ardentibus calefaciendae atque calidae in acido acetico ponendae sunt, quo fit, ut paulatim solvantur. Acido ignis ope fugato id, quod remanet, siccandum est. Hujus etiam remedii primae attenuationes cum saccharo lactis conterendae sunt.

Magnae ejus doses et frequenter repetitae per plures menses efficaces esse solent, quin etiam parvae per plures dies efficacitatem suam retinent.

Morbi diuturni, quos ferri usus provocavit, partim hepate calcis, partim pulsatilla curantur. (Hepatis calcis 1/100 aut 1/000 bis vel ter dari solet.)

Filix mas.

(Aspidium filix mas Spreng. Willd., polypodium filix mas L. *Männliches Farrenkraut.*)

Novem attenuationes. (III.)

Planta haec perennis in silvis opacis inter virgulta et prope muros dirutos ubique in Germania crescit. Radix ejus plana sub terra repit; stipes parvis squamis, quae siccae sunt et membranaceae, dense obsitus; frons pinnata altitudinem duorum pedum saepenumero adipiscitur; ejus folia alternatim posita et lanceolata sunt. Floret inde a mense Junio ad Septembrem.

Succo, dum exprimitur e planta, ut attenuetur, spiritus vini adfundendus est. Hujus tincturae ad parandam primam attenuationem guttae tres adhiberi debent.

Graphites.

(Plumbago; *Graphit, Reissblei.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Graphites est materies fusca, plerumque colore suo ferrum, interdum vero chalybdem aequans, metallici splendoris, carbone referta (*mineralische Kohle*); fracta haud raro laminas obliquas, parum distinctas offert. Frusta ejus minima sunt, perfecte opaca, mollissima et fere fragilia, colorem suum

aliis corporibus facillime impertiunt; digitis admotis videntur esse adipalia, atque parvum habent pondus.

Hoc remedium eodem modo, uti remedia antipsorica, parandum est. (Vid. quae diximus de remediis parandis in universum.)

Unus, duo vel tres globuli saccharo et amylo confecti gutta una imbuti, cui inest sive sextillionesima, sive octillionesima, sive decillionesima pars, dosin constituunt sufficientem. Efficacitas hujus remedii fere ad duodequinquaginta dies producitur.

Gratiola officinalis. L.

(*Gottesgnadenkraut.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Radix, quae multas fibras alit, alba est atque sub terra repit. Caulis recta surgit, quadrangulus et articulis distinctus est; folia petiolis haud instructa, lanceolata, serrata, glabra laete virent; flores singuli, singulis pedunculis suspensi, in foliorum axillis haerent, coloris sunt albi in rutilum vergentis, et faucem habent lutea barba ornatam. Haec planta multis Europae locis crescit.

Mense Iunio, quo florere coepit, planta tota exprimenda est.

Haud satis scio, an consultum sit, in morbis acutis partem quadrillionesimam Caspario auctore adhibere; usus quidem atque experientia aliquando eruent veritatem.

Guajaci gummi.

(Guajacum officinale L. *Guajakharz*, *Guajakgummi.*)

Hoc remedium resinosum arbor, quae crescit in India occidentali, nobis suppeditat. Est succus aëre siccatus atque compactus. Frusta ejus, qualia ad nos perferuntur, magna, inaequalia, dura, nitida, coloris opaci, fusci vel viridis sunt, maculis albis interspersis; ceterum facile frangi atque conteri possunt. Una pars hujus resinae viginti partibus spiritus vini solvenda est. Tincturae ita paratae gutta una in aquae tepidae unciam unam infusa dosis est satis larga. Parca resinae quantitas agitando in aqua plane solvitur.

Helleborus niger L.

(*Schwarzer Christwurz*, *Nieswurz.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Haec planta perennis sponte in Helvetia atque ea parte Germaniae, quae ad meridiem vergit, apud nos vero in hortis occurrit. E radice ejus crassa, nigra et sulcis distincta, quae ad magnitudinem nuclei mali Persici accedit et multos ramos articulis distinctos itidem crassos, laeves, lentos, longissimos, exteriore superficie fuscos, intus vero albos spargit, succus ad medicinae usum exprimitur. Optima atque efficacissima est, quae mense Decembri colligitur.

Radix recens pariter atque sicca secundum regulas saepius promulgatas praeparari debet.

In plerisque morbis guttae partis trillionesimae pars minima dari solet.

Magnae ejus doses per plures hebdomades sese efficaces praestant.

Symptomata, quae primum provocat, camphora, secunda autem atque pejora optime china compescuntur.

Hepar sulphuris calcareum.

(*Kalkerdige Schwefelleber.*)

Tres attenuationes. (I.)

Mixtura e pari quantitate concharum in pulverem subtilissimum redactarum et florum sulphuris purissimorum, postquam per sextam horae partem satis canduit, in lagenis bene obturatis conservanda est. Unum ejus granum cum centum sacchari lactis granis per horam integram contritum signo 1 notatur; duae, quae hanc sequuntur, attenuationes eodem modo parari debent.

Perparva pars grani unius de attenuatione, cui inest pars millionesima, sufficit.

Hyoscyamus niger. (*Bilsenkraut.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Haec planta biennis in ruinis et locis incultis totius Germaniae crescit. Caulis ejus recta surgit; ramos multos spargit et villosus est. Folia alternantia, ovata, lanceolata, villosa et paululum viscosa petiolis carent. Flores,

quibus desunt pedunculi, in summo caule atque in apicibus ramorum haerent; calix exteriorem superficiem exhibet villosam et viscidam; corolla pallide lutea parvis venis purpureis retis instar sibi invicem intertextis distincta est.

Colligitur haec planta, dum floret, et quidem mensibus Majo, Junio, Julio atque Augusto. Succus ex ea recens expressus eodem modo, uti reliqui succi plantarum recentes, ad partem usque quadrillionesimam attenuatur, de qua guttae pars minima sufficere solet.

Mala, quae subinde provocat, symptomata forti camphorae solutione naribus admota compescuntur.

Jacea.

(Viola tricolor L. *Stiefmütterchen*, *Freisamveilchen.*)

E teneris foliis hujus plantae annuae atque omnibus satis notae, quae mensibus Martio, Aprili et Majo colligitur, succus exprimendus est. Is, si aequis spiritus vini partibus commiscetur, tincturam constituit, de qua guttae unius partem minimam aegrotis dare solemus.

Jalappa.

(Convolvulus jalappa L. *Jalappenwinde.*)

Sex attenuationes. (II.)

Haec radix aut in orbes vel quartam vel dimidiam pollicis partem crassos atque plus mi-

nusve perfecte rotundos, aut in duas vel tres partes secundum longitudinem dissecta ad nos pervenire solet. Dura est neque facile comminui potest; interdum etiam integra nobis adfertur, magnitudine et forma raphano parvo similis. Cortex ejus subniger aut fuscus atque rugosus est; intus cinereum ostendit colorem in fuscum nonnunquam vergentem, atque striis nigrioribus intermixtum. Bene contusa pulverem constituit, cujus color medius est inter luteum, fuscum et cinereum.

Ex una radicis in pulverem redactae parte, viginti spiritus vini partibus adfusis, mixturam quotidie bis agitando, intra hebdomadem tinctura extrahitur, quo tempore elapso id quod clarum est et limpidum a faecibus separari debet.

Primae attenuationi conficiendae viginti hujus tincturae atque octoginta spiritus vini guttae adhibentur.

Efficacitas hujus remedii ultra octo dies produci solet.

Hucusque parte millionesima sine incommodo usus sum.

Jgnatia amara L.

(*Jgnatzbohne;* faba St. Jgnatii.)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Semina hujus plantae, quae longitudine sua fere pollicem aequant, durissima et lenta, exteriore superficie laete fusca et quasi pulvere obtecta, intus vero coloris lutei in fus-

cum vergentis et nitida sunt; ceterum odore destituta saporem excitant valde amarum et tenacem.

Dum haec semina in pulverem redigimus, mortarium perpetuo aqua calidissima circumdatum esse oportet, ut continuo mediocriter caleat, aliter enim hic labor paulo difficilior fuerit. Tinctura atque attenuationes hujus remedii via solita fieri debent.

Efficacitas remedii spatio nonnullorum dierum circumscripta est, interdum tamen ultra hoc tempus, imo ad novem dies producitur.

Coffea, pulsatilla, chamomilla et nonnunquam semina menispermi, arnica, camphora atque acetum optima sunt antidota.

Jodium. (*Jod*, *Jode*, *Jodine*, *Varec.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Ad hoc corpus medicum obtinendum fucorum (*Meergras*, *Tang*) combustorum cineres aqua infunduntur, ut sales, qui huic lixivio insunt soluti, conflari possint. Liquor superstes, quo natrum et iodium, quae non in crystallos abeunt, continentur, igni, ut aqueae partes discedant, admovendus, atque deinde acido sulphurico forti commiscendus est. Haec mixtura, ut quantumcumque ei inest acidi muriati expellatur, leni calori exponi debet. Deinde vero, manganesio addito, retortae immissam fortiore igne calefaciamus necesse est, hac enim ratione fit, ut iodium a reliquis corporibus discedat,

atque in vapores violaceos mutatum sursum feratur. Hi vapores superioribus lagenae parietibus squamarum instar, quae coeruleo in fuscum vergente colore tinctae sunt, adhaerescunt, atque exemtae in officinis venduntur.

Pulveris hujus remedii granum unum eodem modo, uti remedia antipsorica (vide, quae generatim diximus de remediis parandis) tractandum atque ad partem usque millionesimam explicandum est.

Duo, tres quatuorve globuli e saccharo atque amylo confecti, quos guttae partis decillionesimae parte minima imbuimus, dosin sufficientem constituunt.

Ipecacuanha.

(Cephaëlis Ipecacuanha Willd., Psychotria emetica L. *Ipecacuanhe*, *Brechwurzel*; Radix Ipecacuanhae.)

Tres attenuationes. (I.)

Haec planta oleracea in Brasilia crescit. Gracilis est ejus radix, lenta, contorta, nodosa annulata, singuli vero articuli rugosi sunt atque asperi. Vires emeticae partibus insunt externis, quae laete fusco vel cinereo nitent colore et fragiles sunt. Internas radicis partes medulla occupat, quae ad ligni similitudinem accedit et luteolis cinereisve striis distincta est.

In tinctura, quae ex hac planta paratur, regulas satis notas sequamur oportet.

Guttae partis millionesimae pars minima dosis saepenumero nimis fortis est.

Efficacitas parvae hujus remedii quantitatis aliquot horarum, magnae vero paucorum dierum spatio circumscripta est.

Juncus pilosus L. (*Haarige Binse.*)

Una attenuatio.

Haec planta ubique in Germania locis umbrosis et praecipue prope Jenam crescit. Ejus tantum radice in medicina utimur.

Cum prelo subjecta parcum modo nobis succum largiatur, ante omnia spiritu vini adfuso in tenuem pultem redigenda atque redacta exprimenda est.

Attenuatio tribus tincturae atque nonaginta septem spiritus vini guttis, bis repetita brachii agitatione, parari debet.

Lactuca virosa L.

(*Giftlattig.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Haec planta perennis variis Germaniae locis inter sepimenta et virgulta, prope fossas aqua repletas atque in ruinis crescit. Caulis ejus, qui recta surgit, inferiore sua parte aculeis munitus multos spargit ramos, atque hic illic cruentis maculis notatus est; folia, quae rectis angulis a caule et ramis discedunt, dura et rigida nervum medium, ab inferiore sua parte aculeis obsitum exhibent; flores parvi,

pallidi et lutei apices caulis et ramorum occupant.

Succus e tota planta, quae dum floret, et quidem mensibus Junio, Julio et Augusto, colligenda est, in medicina adhibetur.

Lamium album L.

(*Weisse Taube - Nessel.*)

Haec planta perennis, quae ubique in Germania prope vias inter virgulta et sepimenta, in muris aliisque locis occurit, inde a mense Aprili ad Septembrem floret.

Succus e tota planta expressus pari spiritus vini quantitate commiscendus est.

Ledum palustre L. (*Porst, Sumpfporst.*)

Quindecim attenuationes. (V.)

Haec planta herbacea variis locis Germaniae prope paludes atque in pratis humidis crescit. Caulis ejus fruticis instar ramos spargit; cortex caulis cinerei, ramorum fusei in rubrum vergentis coloris et tenui lana indutus est; folia, quae parvis petiolis cum caule et ramis cohaerent, angusta, obtusa, margine revoluta et dura, superiore superficie glabra perpetuo virent, inferiore autem lana fusca vestita sunt; flores albi interdumque rutili, antequam aperiuntur, quod fit mensibus Majo, Junio et Julio, cernui dependent.

E ledo palustri siccato et statim in pul-

verem redacto viginti partibus spiritus vini intra octo dies tinctura extrahenda est.

Magnae doses ad quatuor fere hebdomades efficaces sese praestant.

Guttae partis quintillionesimae pars perparva aegrotis dari solet.

Camphora antidotum est.

Lolium temulentum L.

(*Taumellolch, Tollkorn.*)

Quindecim attenuationes. (V.)

Haec planta annua in agris humidis segetibus intermixta crescit. Spica aristata; spiculae compressae plures continent flores, qui mensibus Junio et Julio aperiuntur.

Succus recens e tota planta expressus aequis spiritus vini partibus commiscetur.

Lycopodii pollen.

(*Baerlappstaub, Hexenmehl, Streupulver.* Lycopodium clavatum L.)

Triginta attenuationes. (X.)

Sporulae lycopodii clavati pulverem referunt tenuem, subtilem, pallide flavum, levem, mollem, qui odore et sapore destitutus est, neque aqua, in cujus superficie natat, solvitur. Ceterum flammis injectae inter fulgura cum strepitu comburuntur. In Rossiae et Finniae silvis e spicis plantae indicatae mensibus Augusto et Septembri excutiuntur.

Hic pulvis remediorum antipsoriorum ratione

ad partem decillionesimam explicatur. In morborum curatione, primis attenuationibus omissis, ab ea demum incipiendum est, quae grani partem sextillionesimam continet. Aegrotis, qui valde sunt irritabiles et debiles pars octillionesima tantum vel decillionesima dari potest, qua unus vel duo globuli e saccharo et amylo confecti imbuendi sunt.

Per quadraginta, imo quinquaginta dies vel ultra ejus extenditur efficacitas.

Camphora et pulsatilla antidota sunt.

Manganesium.

(Mangnesium, Manganum aceticum; *essigsaurer Braunstein.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Manganesium seu oxydum manganesii nigrum cum pari pondere ferri sulphurici purissimi in patera exacte conteritur, atque deinde parva syrupi e saccharo confecti quantitate commixtum in globos, qui magnitudine sua ova gallinacea aequent necesse est, redigitur. Hi globi inter carbones ardentes fortiter calefaciendi sunt, ita ut aliquamdiu candeant. A carbonibus remoti solvantur aut aqua pura et destillata, aut pluviatili; liquori insunt oxydum manganesii atque oxydum ferri. Manganesium carbonicum natro e limpido et claro liquore praecipitatum atque aqua satis ablutum pulverem album refert, qui aceto destillato ignis ope solvi debet, donec acetum manganesio saturatum est,

quod cognoscitur, si aliquot pulveris particulae in imo vase haerent. Liquor (manganesium aceticum) calore ita inspissatus, ut syrupum aequet, attenuationibus parandis adhibetur.

Consultius est, modo remedium parandi indicato illum praeferre, quo in remediis antipsoricis utimur. (Vide, quae diximus de remediis parandis pag. 10 seq.)

Dosis esto guttae partis decillionesimae pars minima.

Parvae doses per plures hebdomades efficaces esse solent.

Magnesia carbonica. (*Magnesie, Bittersalz.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Hoc remedium obtinetur, magnesiam sulphuricam aqua solvendo atque solutioni kali carbonicum addendo, quo fit, ut acidum carbonicum se conjungat cum magnesia. Quod sal, ut purum reddatur, primum aqua abluendum, deinde vero charta bibula humore liberandum et siccandum est.

Granum ejus addito saccharo lactis ad partem millionesimam attenuatur. Hujus attenuationis granum unum spiritu vini aquoso solutum bis agitatur, deinde vero reliquae attenuationes adfuso spiritu vini purissimo parandae sunt.

Unus, duo vel tres globuli e saccharo et amylo confecti, quos attenuationibus, quibus vel quadrillionesima, vel quintillionesima, vel sextillionesima grani pars inest, imbuimus, do-

sin constituunt; aegrotis vero, qui valde sunt irritabiles, partis octillionesimae vel decillionesimae parva quantitas dari debet.

Remedium per quadraginta ad quinquaginta dies efficax esse solet.

Menyanthes trifoliata L.

(*Bitterklee, Fieberklee.*)

Tres attenuationes. (I.)

Haec planta optime crescit in pratis humidis. Radix ejus longa, articulata, exteriore superficie fusca, intus vero mollis, longas et albas alit fibras; caulis itidem articulatus humi repit atque hic illic radices agit; folia terna longis petiolis cum caule conjuncta sunt; foliolis ovatis, obtusis et laete viridibus petioli desunt; flores rosei, in foliorum axillis collocati racemos constituunt.

Succus e tota planta, dum florere coëpit, quod fit mensibus Majo et Junio, recens expressus cum pari spiritus vini quantitate commiscendus est.

In plerisque morbis pars minima guttae haud attenuatae dosis est. Delicatulis vero hominibus atque pueris altera vel tertia attenuatio detur necesse est.

Mercurius vivus.

(Hydrargyrum, argentum vivum. *Quecksilber.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Ad purgandum hydrargyrum liquidum, plerumque plumbo et bismutho vitiatum, opus est,

ut in patera porcellanea, infusa solutione hydragyri nitrici, coquatur per horam integram, quod dum fit, liquidae partes, quae avolarunt, continuo restituendae sunt. Hoc modo liquor acida sua parte plumbum et bismuthum recipit, misso facto hydrargyro, quod conjungitur cum eo hydrargyro, cujus purgatione occupamur.

Mercurius solubilis Hahnemanni griseus.

(*Hahnemann's schwärzlich - graues Quecksilberoxyd.*)

Hydrargyrum, uti modo indicavimus, purgatum, acido nitrico sine caloris ope intra plures dies solvendum est. Hydrargyrum nitricum, quod hac ratione nascitur, charta bibula siccandum, deinde vero in mortario vitreo, addita quarta spiritus vini optimi parte, per horam dimidiam conterendum contritumque a spiritu nitri dulci interim orto separandum est, quo facto per horam dimidiam cum spiritu vini conteramus necesse est, quod saepius repeti debet, donec spiritus vini odore suo nullum spiritus nitri dulcis vestigium prodat. Nunc sal, defuso spiritu vini atque charta bibula supposita, pressu, quem ponderibus insuper additis augemus, ab omni humore liberamus. Restat, ut sal ita siccatum cum duplici aquae destillatae quantitate per quartam horae partem in mortario conteratur, et limpido liquore defuso, id salis, quod relictum est, iterum

cum aquae eadem quantitate conteratur, iterumque limpidus liquor defundatur, ut illi, qui primum defusus est, admisceri possit. Hac via omne id, quod inerat sali adhibito, hydrargyri nitrici perfecte saturati ejusque purissimi aqua solutum est, id vero quod non solutum remanet, mixtum est e hydrargyro muriatico et sulphurico.

Ex hoc liquore addito ammonio caustico hydrargyrum oxydulatum nigri in cinereum vergentis coloris et purissimum decidit, quod puritate sua aequat aethiopem per se, quem vocant, longa agitatione mercurii vivi purissimi paratum.

Mercurius purissimus et mercurius solubilis Hahnemanni pariter atque remedia antipsorica in usum medicorum homoeopathicorum praeparati ad partem quadrillionesimam usque attenuantur.

Mercurius corrosivus.

(Mercurius corrosivus sublimatus, hydrargyrum muriaticum corrosivum. *Quecksilbersublimat, Aetzsublimat.*)

Quindecim attenuationes. (V.)

Simplicissima ratione hoc remedium paratur, tres partes hydrargyri puri cum quinque partibus acidi sulphurici fortissimi e retorta vitrea, donec nihil liquidae materiae supersit, destillando atque sal album, quod remanet, pari quantitate salis culinaris conterendo atque hanc mixturam sublimando.

Hoc remedium eodem modo, uti anteceden-

tia, attenuatur, et quidem ad quintillionesimam partem usque, cujus partis gutta minima dosis est sufficiens.

Medicamenta e mercurio parata per quindecim dies, imo per tres hebdomades efficacia sese praestant.

Hepate sulphuris, sulphure, camphora, opio, china, acido nitri antidotis utimur; veneficiis continuo mercurii usu factis atque lentis praeterea vis electrica opponenda est.

Mezereum.

(Daphne mezereum L. *Kellerhals, Seidelbast.*)

Quindecim attenuationes. (V.)

Haec planta fere ubique in Germania locis umbrosis atque in saltibus crescit. Caulis ejus fruticosus recta surgit et ramos spargit; folia initio in fasciculos collecta, deinde vero alternantia, brevibus petiolis instructa, lanceolata, integerrima et glabra sunt; flores pedunculis expertes, terni, quaternive in latere ramorum prius quam folia emergunt, rosei sunt coloris et gratum spargunt odorem. Cortex tenuis, lentus, libro similis, striis distinctus, exteriore superficie fusci in rubrum vergentis coloris tenuique epidermide viridi cinctus, intus vero albus et fibrosus est.

Succus primo vere e cortice plantae, dum flores suos aperit, et quidem mensibus Februario, Martio et Aprili recens collectae expressus et cum pari quantitate spiritus vini commixtus ad

partem quintillionesimam attenuatur; guttae hujus attenuationis pars minima plerumque sufficit, paucis morbis exceptis, ubi fortiore attenuatione videtur esse opus.

Remedii efficacitas non nisi sex vel septem hebdomadum spatio circumscripta est.

Camphora et oxydulo mercurii nigro antidotis utimur.

Millefolium.

(Achillea millefolium L. *Schaafgarbe.*)

Caulis achilleae millefolii erectus, simplex, teres, striis distinctus, superiore sua parte sulcis notatus et tenuissimis pilis obsitus est; folia pinnata, fere glabra et viridia sunt; flores parvi in corymbum collecti.

Succus herbae juvenis inde a mense Junio ad Octobrem, quo tempore floret planta, expressus pari quantitate spiritus vini commiscetur.

Moschus.

(Moschus moschiferus L. *Moschus, Bisam.*)

Duae attenuationes. (2.)

Moschus moschiferus animal est ruminans, capreae simile, quod in saltibus Asiae mediae atque orientalis vivit. Remedium, cui moschi nomen est, in sacco pilis obsito pone umbilicum hujus animalis posito reperitur, atque unguinosa et fusca est materies, quae gravissimum spargit odorem.

E decem moschi bene contriti granis, adfusis

ducentis spiritus vini guttis, continuata per plures dies agitatione, tinctura extrahenda atque extracta duabus attenuationibus adhibenda est.

Duo vel tres globuli e saccharo et amylo confecti, quos imbuimus ea attenuationes, cui inest pars millesima, dosin constituunt.

Murias magnesiae.

(*Kochsalzsaure Bittersalzerde.*)

Duodeviginti attenuationes. (VI.)

Ad hoc remedium obtinendum acido muriatico, quale sal culinare cum pari quantitate acidi phosphorici ejusque, postquam liquefactum fuerat, aëre libero in liquorem oleo similem dilapsi destillando nobis comparamus, tantum magnesiae solvimus, quantum calore ad 80° R. accedente in se recipere potest, quo facto lixivium etiamnum calidum colandum atque pari calore siccandum est. Magnesia muriatica, quae facile liquescit, lagena bene obturata reponi debet.

De remedio in usum homoeopathicum convertendo vide ea, quae de remediis antipsoricis supra dicta sunt.

Plerumque tres vel quatuor globulos e saccharo et amylo confectos atque parte billionesima imbutos adhibemus; multi tamen occurrunt morbi, in quibus parte quadrillionesima et sextillionesima opus est.

Ultra quadraginta dies ejus efficacitas producitur.

Camphora naribus admota nimias magnesiae muriaticae vires supprimit.

Natrum.

(*Natrum, mineralisches Laugensalz.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Granum crystallorum hujus salis eodem modo, uti remedium superius paratum ad partem quadrillionesimam attenuatur; duo, tres quatuorve globuli e saccharo et amylo confecti hac attenuatione imbuti sufficiunt, quorum efficacitas per triginta duos, imo per plures dies producitur.

Nerium oleander L. (*Oleander.*)

Sex attenuationes. (II.)

Folia ejus terna, linearia, lanceolata, crassa, laevia, integerrima atque inferiore superficie nervis distincta sunt; floribus ruber vel albus est color.

Uncia foliorum recentium, dum planta florere coepit, quod fit mensibus Julio et Augusto, decerptorum atque in parva frusta dissectorum in mortario primum tanta spiritus vini quantitate, quanta opus est ad pultem ex iis parandam, imbuenda, deinde vero cum reliqua spiritus vini quantitate, quae cum priore uniam debet conficere, ad hanc pultem diluendam commiscenda est. Succus inde expressus per aliquot dies loco apto reponi debet, ut faeces atque albumen, quibus refertus est, considere possint, quo facto laticem supernatantem, qui viridis est coloris,

defundere licet. Gutta ejus cum centum spiritus vini guttis bis agitata primam constituit attenuationem, deinceps ad partem billionesimam explicandam.

Guttae partis billionesimae pars minima dosis est.

Nitrum. (*Salpeter.*)

Tres attenuationes. (I.)

Nitrum purum constituitur magnis crystallis prismaticis, qui sunt pellucidi, hexagoni et utrimque oblique truncati, atque aëri expositi neque dilabuntur neque liquescunt.

Granum hujus corporis medici cum centum granis sacchari lactis contritum continuo ad partem millionesimam, cujus minimam partem aegrotis dare solemus, explicari debet.

Nux moschata.

(Myristica officinalis L. *Muscatnuss.*)

Tres attenuationes. (I.)

Nuces moschatae densae, ponderosae, exteriore superficie rugosae, laete fuscae, vermibus non exesae sint, atque acu candente trajectae oleum luteum fundant, dissectae vero varios colores marmoris instar offerant, denique odorems pargant gravem et jucundum, et olei aromatici saporem in lingua excitent necesse est.

Ex una parte nucum moschatarum in pulverem redactarum, viginti partibus spiritus vini adfusis, intra hebdomadem, et mixturam quidem

quotidie bis agitando, tinctura extrahenda est, cujus guttae viginti cum octoginta spiritus vini guttis commixtae primam praebent attenuationem.

Nux vomica.

(Strychnos nux vomica L. *Krähenaugen, Schwindelbaum.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Semina hujus plantae plana et compressa in media sua parte parvam offerunt foveam, et colore albo in cinereum vergente tincta, mollibus, splendentibus atque in orbes dispositis pilis obsita, intus vero lentae ac fere corneae compagis et fusci vel lutei sunt coloris.

E quinquaginta granis seminum nucis vomicae in mortario marmoreo tenuem in pulverem redactorum, adfusis mille spiritus vini guttis, sine calore intra hebdomadem tinctura paranda est. Hujus gutta una cum quingentis spiritus vini guttis commixta partem decies millesimam (2.) constituit. Reliquas attenuationes ad partem decillionesimam usque secundum regulas saepe indicatas parari debent.

In plerispue morbis guttae partis decillionesimae pars perparva sufficit, et raro tantum parte quintillionesima, vel sextillionesima, vel octilliosima videtur esse opus.

Magnae doses per quindecim, minores vero ad octo vel duodecim dies efficacitatem suam retinent.

Vinum, spiritus vini, camphora, coffea, se-

mina menispermi, aconitum napellus et chamomilla antidota sunt.

Oenanthe crocata L.

(*Die giftige Rebendolde, Safrandolde.*)

Haec planta perennis prope paludes et rivulos Sueviae et Francogalliae crescit. Radix ejus pluribus constituitur tuberibus, ad raparum similitudinem accedentibus atque lacteo liquore, quem aër flavum reddit, refertis. Singula tubera radicem aequant pastinacae sativae.

Hoc corpus eodem modo, quo nux vomica, tractatur.

Ononis spinosa L.

(*Hauhechel, Hechelkraut.*)

Sex attenuationes. (II.)

Haec planta fruticosa ubique in Germaniae collibus, agris sterilibus et pratis crescit. Caulis ejus initio humi repens paulatim surgit, villosus, rubri in fuscum vergentis coloris et spinis munitus est; folia fere nullis petiolis instructa et terna foliola offerunt ovata, obtusa, serrata et utrimque pilis obtecta; flores pallide purpurei vel rosei sunt; radix teres, paululum lignea, exteriore superficie fusca, intus vero albidi coloris crassitie sua digitum transversum aequat.

Folia et radix ononidis spinosae mensibus Junio et Augusto, floribus nondum apertis, collecta

eodem modo, quo nerium oleander, praeparari atque attenuari debent.

Opium.

(*Mohnsaft.* Papaver somniferum L.)

Sex attenuationes. (II.)

Liquor lacteus e capitibus papaveris somniferi immaturis extractus atque aëre siccatus opium vocatur. In usum medicum id debet eligi, quod a faecibus prorsus purgatum leve, siccum, lentum et opacum, intus vero viscidum et rubro in fuscum vergente colore tinctum saporem excitat amarum, nauseosum spargit odorem, atque aqua ex parte solvitur.

E quinquaginta granis opii in pulverem redacti, mille guttis spiritus vini adfusis, mixturam quotidie agitando et lenem cubiculorum nostrorum calorem adhibendo, intra hebdomadem tincturam extrahimus; limpidi liquoris a faecibus defusi gutta una cum quingentis spiritus vini guttis commixta partem decies millesimam constituit.

Guttae partis billionesimae pars minima dosis est.

Efficacitas remedii aliquot horarum spatio circumscribitur.

Antidota sunt tinctura ipecacuanhae, camphora et praecipue coffeae infusum forte per os atque anum ingestum, adjuncta corporis frictione. His, ubi algor, torpor et summa muscu-

lorum debilitas supervenerint, balneum calidum debet accedere.

Paeonia officinalis L.

(*Paeonie, Gichtrose, Putennige.*)

Tres attenuationes. (I.)

Haec planta perennis floribus suis magnis et purpureis, plerumque plenis, hortos nostros ornat. Medici radice ejus, quae mensibus Martio et Aprili colligenda est, utuntur.

Succus e radice recens expressus pari spiritus vini quantitate commiscendus est.

Paris quadrifolia L.

(*Vierblätterige Einbeere.*)

Novem attenuationes. (III.)

Haec planta in Germania et praecipue in Thuringia crescit. Radix ejus articulata et carnosa humi repit; caulis simplicissimus et unum florem sustentans recta surgit; folia quaterna, integerrima atque inferiore superficie nitentia verticilli instar disposita sunt; flos, qui mensibus Aprili, Majo et Junio aperitur, luteoli in viridem vergentis coloris, injucundum spargit odorem.

Succus e planta, quo tempore florere coepit, recens expressus cum pari spiritus vini quantitate commiscendus est.

Petroleum.

(Oleum petrae; *Bergoel, Steinoel.*)

Duodeviginti attenuationes. (VI.)

Petroleum, quod in medicina exercenda adhibemus, debet esse limpidissimum et colore laete flavo tinctum, quippe quo signo cognoscimus, pinguibus plantarum oleis non esse vitiatum. Necessaria ejus puritas magis etiam apparet, si gutta chartae scriptoriae adspersa vel in aëre libero vel calore admoto ita evanescit, ut nulla in charta macula remaneat. Duplex spiritus vini quantitas huic oleo adfusa, quae aliquoties cum eo agitari atque deinde ope chartae bibulae spiritu vini madefactae ab eo separari debet, olea plantarum aeterea, v. g. oleum terebinthinae, admixta prodit, cum, oleo petrae in charta remanente, spiritus vini illa secum abripiat.

Gutta ejus cum saccharo lactis commixta terendo decies centies millies explicanda atque deinde secundum regulas saepius indicatas ad partem sextillionesimam usque attenuanda est, qua unus vel duo globuli e saccharo et amylo confecti imbuendi atque aegrotis dandi sunt.

Hoc remedium ultra quadraginta dies efficax esse solet.

Nuce vomica antidoto utimur.

Petroselinum.

(Apium petroselinum L. *Petersilie.*)

Succus ex hac planta notissima, quo tempore florere coepit, recens expressus cum pari spiritus vini quantitate commiscendus est.

Phosphorus. (*Phosphor.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Phosphorus purus albi in luteolum vergentis est coloris atque cerae instar paululum nitet. Ceterum solidus et parum lentus neque in pulverem redigi neque cultro dividi potest.

Primum phosphorus cum saccharo lactis commiscendus est. Hunc in finem grana centum sacchari lactis, adfusis quindecim circiter aquae guttis, in patera ope pistilli madefacti in pultem tenacem rediguntur, cui granum phosphori unum, in duodecim fere frusta dissectum, pistillo humido tundendo potius quam terendo immiscetur, quod dum fit, massam, quae ad pistillum adhaerescere solet, saepius abstergamus necesse est. Tertia circiter horae parte praeterlapsa, massa jam pulveri similior facta non amplius contundenda sed conterenda est. Quae reliqua sunt, uti etiam insequentes attenuationes, secundum regulas notissimas conficiuntur. (Vide quae diximus de remediis parandis in universum.)

Praeter descriptam rationem haec altera, quam nunc proposituri sumus, laudari meretur. Granum phosphori unum in parva frusta dissectum

atque lagenae ducentis aetheris sulphurici purissimi guttis repletae ac deinde bene obturandae immissum loco frigido reponatur, donec plane solutum sit. Hujus solutionis bis agitatae guttae duae in lagena cum centum spiritus vini guttis commiscendae sunt. Mixturae ita obtentae atque bis agitatae pars grani decies millesima inest.

Reliquae attenuationes, uti supra indicatum est, fieri debent.

Unus, duo vel tres globuli e saccharo et amylo confecti et parte decillionesima imbuti aegrotis dari solent.

Remedium certe per quadraginta dies efficacitatem suam retinet.

Camphora, vino, coffea et nuce vomica antidotis utimur.

Platina. (*Platina.*)

Sex attenuationes. (II.)

Platina colore suo, cui argentei splendoris aliquid admixtum est, chalybdem aequat. Compagis densissimae est et durior cupro molliorque ferro; auro et argento exceptis facillime duci potest; tenacitate vero cupro et ferro tantum superatur.

Platinae chemico artificio perfecte purgatae grana viginti caloris ope in aqua regia, quae pari acidi nitrici et muriatici quantitate constat, solvenda sunt. In hanc solutionem, flavo tinctam colore, postquam aqua adfusa satis diluta est, bacillum e chalybde confectum et politissimum immitimus, quod subito platinae crystallis

cortice quasi obducitur. Metallum, quod nobis ita comparavimus, spongiosum est, cinereum, nullius splendoris, molle atque facili opera in pulverem conteri potest. Multa aqua accurate abluatur atque denuo siccetur necesse est.

Inter hujus remedii et remediorum antipsoricorum attenuationes parandas nulla intercedit differentia.

Hucusque minima parte attenuationis, cui inest billionesima grani pars, semper usus sum, eam tamen nonnullis in morbis nimis fortem esse inveni.

Per plures hebdomades efficax est.

Pulsatilla ejus vires compescimus.

Plumbum aceticum.

(Saccharum saturni; *Essigsaures Blei, Bleizucker.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Hoc remedium, columnis parvis, tenuibus, quadrilateris, fere pellucidis atque aliquo modo splendentibus conflatum, sapore austero et constringente praeditum est.

In usum medicorum homoeopathicorum eodem modo paratur, uti remedia antipsorica.

Unus, duo vel tres globuli e saccharo et amylo confecti, quos attenuatione quadrillionesima imbuimus, aegris dari solent.

Ultra quindecim dies ejus efficacitas producitur.

Opium atque vim electricam plumbo acetico opponimus.

Prunus laurocerasus L.

(*Kirschlorbeerbaum.*)

Sex attenuationes. (II.)

Hujus arboris folia alternantia ramos et surculos occupant, petiolis instructa, ovata, in longitudinem producta, acuminata, brevia, acute serrata, margine revoluta, firma, coriacea, multo succo referta sunt et semper virent; ceterum superficiem superiorem fusce viridem, glabram et nitidam, inferiorem vero pallide viridem, itidem glabram et venis distinctam offerunt.

Succus e foliis recentibus, mensibus Aprili et Majo collectis, expressus atque pari spiritus vini quantitate commixtus ad sextam usque attenuationem, cujus gutta una sufficiens est dosis, dilui debet.

Magnae hujus remedii doses per sex vel octo dies efficaces sunt.

Coffea, camphora et ipecacuanha antidotis utimur.

Prunus padus L.

(*Traubenkirsche, schwarze Vogelkirsche.*)

Novem attenuationes. (III.)

Folia, quae petiolis instructa alternatim occupant ramos, initio ovata paulatim angustiora fiunt; eadem acuminata serrata, nervis et venis distincta, superficie superiore rugosa et pallide viridia sunt; flores albi suavem spargunt odorem atque in racemos collecti a lateribus ramorum dependent. Haec

arbor, quae ubique in Germania crescit, mensibus Aprili et Majo floret.

Succus e foliis recentibus expressus pari spiritus vini quantitate commiscendus est. Hanc mixturam ad partem trillionesimam usque attenuamus, cujus minima gutta plerumque sufficit.

Pulsatilla.

(Anemone pratensis L. *Küchenschelle*, *Wiesenanemone.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Haec planta multis Germaniae locis crescit. Radix ejus fusiformis est; caulis teres, tenuis, uno flore ornatus, superne decumbens et fusci in viridem vergentis coloris herbaceo involucro circumdatur; folia bipinnata dauci carotae foliis sunt similia, e radice enascuntur et foliola multifida atque angusta offerunt; flores atri in purpureum vergentis vel coerulei sunt coloris.

E tota hac planta, dum florere coepit, succus exprimendus est.

In plerisque morbis pars quadrillionesima dosis est; raro nec non nisi robustis hominibus integram fortis tincturae guttam dare licet.

A decem imo ad duodecim dies efficacitas hujus remedii producitur.

Chamomilla, coffea, faba St. Ignatii et nuce vomica antidotis utimur.

Ranunculus bulbosus L.

(*Knollige Ranunkel, Hahnenfuss.*)

Duodecim attenuationes. (VI.)

Radix hujus plantae tuberibus conflata ad rapae similitudinem accedit atque alba est; caulis tubulatus, villosus et ramosus multos fert flores; folia parvis petiolis insructa, incisa et dentata sunt; flores magni atque lutei; calix exteriore superficie villosus, intus flavus, ultra dimidiam partem revolutus est.

E planta mense Majo, quo floret, succus, et quidem e radice et herba seorsim exprimendus est, quia illius tubera, nisi spiritus vini adfundatur, parvam succi quantitatem largiuntur. Deinde succos tam herbae quam radicis commixtos, pari spiritus vini quantitate addita, loco obscuro reponimus, et per tres dies mixturam quotidie aliquoties agitamus, quo tempore praeterlapso limpidus liquor, qui fusci est coloris, a faecibus delapsis separandus est.

In plerisque morbis pars billionesima, aegrotis vero valde debilibus pars trillionesima vel quadrillionesima dari debet.

Ranunculus sceleratus L.

(*Gifthahnenfuss.*)

Triginta attenuationes. (X).

Caulis hujus plantae cavus, mollis, angulatus et sulcis distinctus viridi nitet colore; folia, quae e radice proveniunt, in orbem dispo-

sita, longis petiolis instructa, nitida et carnosa sunt; folia caulina, brevibus vel nullis petiolis praedita, figura sua digitis similia, glabra atque in tres vel plures etiam lacinias divisa sunt; flores parvi et pallide flavi; petala integerrima nitent. Uterque ranunculus a nobis descriptus locis paludosis Germaniae occurrit.

Ranunculus sceleratus eodem modo, quo bulbosus, tractandus est.

Casparius in morbis diuturnis trillionesimam, in acutis vero decillionesimam partem commendat.

Rheum.

(Rheum palmatum L. *Rhabarber.*)

Novem attenuationes. (III.)

Rhei palmati videtur esse radix, quae exteriore superficie fusci in luteum vergentis, intus vero crocei coloris est atque rubris venis nucis moschatae instar distincta.

Ex una parte radicis in pulverem redactae, admixtis viginti spiritus vini partibus, intra quinque vel sex dies caloris cubiculorum temperiem non excedentis et repetitae quotidie agitationis ope tincturam extrahimus, atque extractam a faecibus separamus.

In paucis morbis prima tantum vel tertia attenuatio, in plurimis vero pars trillionesima adhibenda est.

Rhododendrum chrysanthum L.

(*Sibirische Schneerose.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Foliis, gemmis et ramis hujus plantae, quae e Rossia nobis afferuntur, in homoeopathia utimur. Rami sex vel octo pollices longi ambitu pennas anserinas aequant et fusco involucro circumdati sunt. Omnes, quas commemoravimus, partes in pulverem redactae eodem modo, quo rheum, tincturae parandae adhibemus.

Caspario auctore pars trillionesima vel quadrillionesima aegrotis danda est.

Rhus.

(Rhus radicans sive toxicodendron; *Wurzelsumach.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Hic frutex apud nos in hortis colitur. Truncus ejus radices agit et multos spargit ramos; cortex subviridis levibus striis et maculis distinctus est; rami teneris pilis obsiti; folia alternantia, longis petiolis instructa et terna; foliola itidem brevibus petiolis praedita, fere ovata, superiore superficie glabra, inferiore vero pallide viridia atque raris pilis obsita sunt.

E foliis succus exprimitur.

In plurimis morbis parva attenuationis decillionesimae gutta, raro vero ejusdem integra gutta adhibetur.

Nunquam neque in morbis chronicis, neque robustis hominibus succus non attenuatus, sed pars tantum trillionesima vel quadrillionesima danda est.

Majores doses corpus humanum per sex fere hebdomades afficiunt.

Bryonia, sulphure, camphora et tinctura coffeae crudae antidotis utimur.

Rorella.

(Drosera rotundifolia L. *Sonnenthau.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Haec planta locis, ubi carbones sub terra latent (*Torfgründe*), optime crescit. Caulis ejus, qui recta surgit, tenuis, laevis et ruber plerumque digitum longitudine sua aequat; folia, quae coronae instar caulem circumdant, inferiore superficie glabra et albida, superiore vero multis pilis rubris ornata sunt; flores alternantes, brevibus pedunculis instructi atque albi non nisi coelo sereno versus meridiem, et quidem mensibus Junio et Julio explicantur.

In homoeopathia utimur succo plantae primis floribus ornatae. Paratas ex eo attenuationes haud pluries, quam bis agitare licet.

In morbis acutis partis decillionesimae pars minima, in chronicis vero nona et duodecima attenuatio adhibentor.

Camphora antidotum est.

Ruta graveolens L. (*Raute.*)

Tres attenuationes. (I.)

Ex herba hujus plantae notissimae, quae in hortis nostris colitur, succus exprimatur.

In plerisque morbis gutta partis millionesimae, robustis vero hominibus prima et secunda attenuationes dandae sunt.

Sabadillae semen.

(Veratrum sabadilla Retzii; *Sabadille.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Haec semina admodum parva, in longitudinem producta, altero suo fine acuta, altero paulo latiora, exteriore superficie fusca, imo fere átra, intus vero albida sunt. Quae capsulis inclusa ad nos perferuntur, reliquis sunt praeferenda. Capsulae membranaceae, ovatae et longae, altera extrema parte acuta, altera vero obtusa fuscum offerunt oculis colorem, qui in luteum vergit.

Ex una seminum in pulverem redactorum parte, viginti partibus spiritus vini adfusis, tinctura paratur, quae deinceps ad partem decillionesimam extenuanda est.

Raro plus parte decillionesima dare liceat, in morbis chronicis tamen sextillionesima vel octillionesima conducere videtnr.

Hoc remedium per quatuordecim fere dies efficacitatem suam retinet.

Camphora et pulsatilla vires ejus compescimus.

Sabina.

(Juniperus sabina L. *Sadebaum.*)

Viginti quatuor attenuationes. (VIII.)

Hic frutex apud nos in hortis colitur; caulis ejus semper virens multos spargit ramos; cortex trunci lucide fuscus, ramorum vero tenerorum lucide viridis est; folia perparva, quae squamarum instar sese obtegunt atque in caule decurrunt, lanceolata, acuminata, glabra et viridis in fuscum vergentis sunt coloris. Ceterum sabina peculiarem spargit odorem eumque gravem atque valde injucundum.

Succus foliorum recentium cum pari spiritus vini quantitate commixtus ad partem octillionesimam usque attenuandus est. Dum folia tenera contundimus, jam dimidiam spiritus vini quantitatem adfundamus oportet, ut puls satis tenax obtineatur. Succus ex hac pulte expressus cum duabus partibus spiritus vini commixtus per aliquot dies reponendus est, ut deinde id, quod clarum a faecibus decessit, commode defundi possit.

In morbis diuturis partis billionesimae vel trillionesimae exigua quantitas, in acutis vero quintillionesimae vel octillionesimae pars perparva aegrotis dari debet.

Efficacitas remedii non nisi nonnullarum hebdomadum spatio circumscribitur.

Camphora antidotum est.

Sambucus nigra L.

(*Hohlunder, Flieder.*)

Succus e foliis et floribus hujus arboris omnibus notissimae cum pari spiritus vini quantitate commiscendus est.

Guttae succi haud attenuati pars parva dosis est.

Sassafras.

(Laurus Sassafras L. *Sassafrasbaum.*)

Lignum hujus arboris, quae crescit in terris calidioribus, et praecipue in Virginia et Florida, in magnas partes dissectum atque hic illic cortice obtectum ad nos advehitur. Ceterum leve, molle, fragile et lutei modo in fuscum modo in rubrum vergentis coloris est.

E parte una ligni cortice suo muniti in tenuem pulverem redacti, viginti spiritus vini partibus adfusis, tinctura extrahenda est, cujus parva gutta dosis est sufficiens.

Sassaparilla.

(Smilax Sassaparilla L. *Sassaparille.*)

Tres attenuationes. (I.)

In medicinae usum eas adhibemus radices, quae ambitu suo tenuem pennam anserinam aequantes exteriore superficie paululum rugosae et flavo in luteum vergente colore tinctae, intus vero albae, neque fragiles neque vermibus exesae sunt, sed firmae secundum longitudinem facile findi possunt.

Ex hoc ligno eodem modo, quo e remedio antecedente, tinctura paratur.

Guttae haud attenuatae pars parva in plerisque morbis nimia est dosis.

Sedum acre L.

(*Mauerpfeffer*, *Hauslauch.*)

Tres attenuationes. (I.)

Haec planta perennis in muris, tectis domorum atque ruinis Germaniae crescit. Multi caules humi procumbentes et teretes ex eadem radice nascuntur; folia alternantia, adnata, petiolis destituta, fere ovata, obtusa, carnosa et glabra sunt. Flores nullis pedunculis instructi luteo nitent colore.

Haec planta modo reliquarum, quibus recentibus utimur, praeparanda est.

Senega.

(Polygala senega L. *Senegawurzel.*)

Novem attenuationes. (III.)

Radix hujus plantae perennis, quae in America septentrionali crescit, lignosa, superiore fine nodosa, rugosa, striis transversis notata pennam anserinam ambitu aequat. Sub epidermide e cinereo in fuscum vergente colore tincta cortex luteus vel fuscus, satis crassus et tenax positus est, cui medicas vires inesse dicunt.

Ex hac radice eodem modo, quo e sassaparilla, tinctura paratur.

Casparius in morbis chronicis partem millionesimam, in acutis vero trillionesimam commendat.

Senna. (Senna Alexandrina; *Sennesblätter.*)

Sex attenuationes. (II.)

Plantae hujus annuae, quae in Aegypto superiore crescit, folia ovata, in longitudinem producta, cuspide munita, luteola vel pallide viridia et media sua parte nervata odore peculiari et sapore mucoso atque amaro praedita sunt.

Ex una parte foliorum in pulverem redactorum, viginti spiritus vini partibus adfusis, intra sex dies tinctura extrahenda est.

Aegrotis tertia et sexta attenuatio dari solet. Chamomilla interdum antidoto utendum est.

Sepia. (Succus sepiae; *Sepiesaft.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Succus est fusci coloris, qui in abdomine sepiae octopodae vesica continetur. Hoc animal frequenter in mari mediterraneo reperitur. Vesica succo repleta, quam nobis suppeditat, Romae, unde ad nos perfertur, pictoribus inservit. Succus sepiae aqua facile, spiritu vini contra nullo modo solvitur.

Granum sepiae in pulverem redactum cum saccharo lactis commixtum ad partem millionesimam explicatur, atque eodem modo, quo reliqua remedia antipsorica tractatur.

Unus, duo, tres quatuorve globuli e saccharo

et amylo confecti, quos ea attenuatione, cui inest pars decillionesima, imbuimus, aegrotis dari solent.

Efficacitas hujus remedii ad quadraginta, imo ad quinquaginta dies producitur.

Antidotis plantarum acidis utimur, quibus tamen solutio antimonii crudi vel tartari emetici ad partem billionesimam explicata, quam naribus admovemus, praeferenda est. Sanguine sepiae usu nimis concitato odores aconiti commendandi sunt.

Serpentaria.

(Aristolochia serpentaria L. *Schlangenwurzel.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Radix hujus plantae perennis multis constat fibris tenuibus, quae longitudine sua pollicem aequant et sibi invicem intertextae e parvo capitulo nodis obsito nascuntur; exteriore superficie fusci in viridem vergetis coloris, intus vero albidae vel luteolae sunt.

E radice ejus eodem modo, quo e reliquis corporibus medicis in pulverem redactis, tincturam paramus.

In acutis morbis pars quadrillionesima aegrotis danda est.

Silicea terra. (*Kieselerde.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Crystallorum silicis, qui pluries candefacti et aqua toties extincti esse debent, vel arenae albae aceto destillato ablutae uncia dimidia unciis duabus natri dilapsi commiscenda atque in

lebete ferreo eo liquefacienda est, donec tota massa deferbuerit et fluida claraque reddita sit, quo facto in tabulam marmoream effundenda est. Vitrum perfecte pellucidum hac ratione paratum vase vitreo recipimus et, quatuor aquae destillatae partibus adfusis, charta obtegimus. Dum ita solvitur hoc vitrum, terra silicea nivei coloris a natro separata sponte decidit. Liquor defusus natro carbonico puro atque aqua constat. Aquae, qua abluimus terram siliceam, spiritus vini admiscendus est, ut levissima terra silicea facilius fundum vasis petere possit. Quo facto primum chartae bibulae, additis insuper ponderibus, ut ab humore liberetur, interponenda, atque inde depromta, ut perfecte siccescat vel in aprico vel loco calido ponatur.

Hoc corpus medicum eodem modo, quo remedia antipsorica, praeparamus.

In morbis chronicis levioribus atque aegrotis robustis non nisi eam attenuationem, cui inest pars sextillionesima dare licet. Aegrotis debilibus atque in morbis chronicis gravioribus partis decillionesimae pars minima perfecte sufficit.

Camphora non satis ejus vires compescit, quare hepar calcis praeferendum est.

Solanum nigrum L.

(*Der schwarze Nachtschatten.*)

Quindecim attenuationes. (V.)

Haec planta annua ubique in Germania prope sepimenta atque in ruinis crescit. Caulis

ejus herbaceus et laevis recta surgit et multos spargit ramos; folia alternantia, petiolis instructa, ovata, acuminata et dentata sunt; flores albi in racemos dispositi mensibus Junio, Julio et Augusto aperiuntur.

Ex herba plantae florentis succus exprimendus est.

In morbis acutis pars quintillionesima dari debet.

Spigelia anthelmia L.

(*Die wurmtreibende Spigelie.*)

Triginta attenuationes. (X.)

In medicina herbam hujus plantae annuae, quae in Brasilia, Cayenna et Guiana sponte crescit, adhibemus.

E quinquaginta granis herbae in pulverem redactae, quingentis spiritus vini guttis adfusis, sine caloris ope, repetita quotidie vasis agitatione, intra hebdomadem tincturam extrahimus, quam secundum regulas satis notas attenuationibus conficiendis adhibemus.

Aliquot globuli e saccharo et amylo confecti ea attenuatione, cui inest pars decillionesima, imbuti sufficiunt.

Dosis vel parva per quatuor hebdomades et ultra efficacem sese praestat.

Parvis camphorae dosibus saepius repetendis vires ejus compescendae sunt.

Spongia marina tosta.

(*Roest-schwamm, Badeschwamm.* Spongia officinalis L.)

Triginta attenuationes. (X.)

Est zoophyton deforme et tenax, quod in mari mediterraneo et rubro occurrit. Haec spongia in parva frusta dissecta atque tympano ferreo immissa tam diu succensis carbonibus torretur, donec fuscum induerit colorem atque haud difficulter in pulverem redigi possit.

E viginti granis, quadringentis spiritus vini guttis adfusis, atque repetita quotidie agitatione, sine caloris ope intra hebdomadem tincturam extrahimus, cujus viginti guttis granum spongiae unum inest.

Potest etiam antipsoricorum remediorum modo parari.

In morbis chronicis tertia et sexta attenuatio, in acutis vero partis decillionesimae pars minima adhibetur.

Camphora antidoto utimur.

Scilla maritima L. (*Meerzwiebel.*)

Duodeviginti attenuationes. (VI.)

Hujus plantae bulbus, cujus pondus interdum ad plures libras accedit, squamis sibi invicem impositis et variae magnitudinis constat. Squamae recentes carnosae, latae atque utrimque tenuiores, sicca epidermide obtectae atque lineis distinctae sunt.

Bulbi vetustiores fusci sunt coloris in ruti-

lum vergentis; squamae succo scatentes, quae sub epidermide latent, luteoli in album vergentis coloris vel perfecte albae sunt; siccatae vero lentae, corneae, fere pellucidae luteoli vel badii sunt coloris.

Centum grana scillae maritimae recentissimae in mortario, centum guttas spiritus vini paulatim adfundendo, in tenuem atque aequabilem pultem rediguntur, quae quingentis spiritus vini guttis attenuata reponenda est, ut aliquot diebus praeterlapsis tinctura laete fusca et clara a faecibus defundi possit. Hujus tincturae guttae sex cum nonaginta quatuor spiritus vini guttis decies repetita agitatione commixtae primam attenuationem efficiunt.

Magnae doses per quatuordecim dies efficaces esse solent.

Camphora antidotum est.

Stannum. (*Zinn.*)

Sex attenuationes. (II.)

Stannum in tenuissimas laminas ductum, quod vulgo nominant *unächtes* seu *Metall-Silber*, seu *Schaum-Silber*, purissimum est.

Granum hujus metalli unum cum saccharo lactis commixtum, ad partem millionesimam attenuamus, et reliquas attenuationes secundum regulas notissimas deinceps paramus.

Permultis in morbis pars millionesima, aegrotis vero, qui valde sunt irritabiles, aliquot globuli e saccharo et amylo confecti atque ea attenuatione, cui inest pars billionesima, imbuti, dari debent.

Hoc remedium ultra tres hebdomades efficacitatem suam retinet.

Staphysagria.

(Delphinium staphysagria L. *Stephanskraut*, *Stephanskörner*.)

Triginta attenuationes. (X.)

Semina hujus plantae biennis, quae in Italia crescit, atri in cinereum vergentis coloris, plana, triangula vel interdum quadrangula, aspera, rugosa et curvata nucleum oleosum atque albidum continent.

E drachma horum seminum, quibus ad oleum recipiendum par cretae quantitas addenda est, in pulverem redactorum, adfusis sexcentis spiritus vini guttis atque adhibita quotidie agitatione, intra hebdomadem sine caloris ope tincturam extrahimus. E decem hujus tincturae atque nonaginta spiritus vini guttis, adhibita agitatione, prima attenuatio paratur.

Aliquot globuli e saccharo et amylo confecti ea attenuatione, cui inest pars decillionesima, imbuti aegrotis dantur.

Hujus remedii efficacitas trium hebdomadum spatio circumscribitur.

Nimiae ejus vires camphora compescuntur.

Stramonium.

(Stramonium L. *Stechapfel.*)

Novem attenuationes. (III.)

Haec planta annua multis Germaniae locis reperitur. Caulis ejus recta surgens, laevis,

crassus ac teres multos spargit ramos; folia magna, petiolis instructa, ovata, acuminata, glabra, fusce viridia, reflexa, in axillis ramorum collocata sunt; flores magni et albi brevibus pedunculis sustentantur.

Ex herba daturae stramonii mensibus Julio, Augusto et Septembri, quo tempore planta floret, secundum notas regulas tinctura extrahenda est.

Datur aegrotis partis trillionesimae gutta integra, vel parva ejus quantitas.

Majores doses per plures dies, minores vero ad triginta sex vel duodequinquaginta horas efficaces sese praestant.

Acido citreorum vel aliis fructibus, quibus idem inest acidum, perniciosae ejus vires coercentur. Eundem in finem acetum atque fumos herbae nicotianae commendamus.

Sulphur.

(Flores sulphuris; *Schwefelblumen.*)

Sex attenuationes. (II.)

Pares sulphuris atque arenae purae partes e retorta vitrea, cui galea imposita est, ope balnei arenae, uti vocatur, sublimandae sunt. Vapores, leni adhibito igne, postquam in excipulum frigidum pervenere, formam crystallorum tenuium atque acubus similium induunt. Hi crystalli spiritu vini, ut omne acidi vestigium removeatur, agitandi atque deinde charta bibula siccandi sunt.

Praeparatur hoc remedium eodem modo, quo medicamenta antipsorica.

Unus vel duo globuli e saccharo et amylo confecti ea attenuatione, cui inest pars billionesima, imbuti aegrotis dandi sunt.

Remedii efficacitas per triginta sex, imo quadraginta dies producitur.

Camphora antidotum est.

Tabacum.

(Nicotiana tabacum L. *Taback.*)

Sex attenuationes. (II.)

Succus e foliis hujus plantae annuae mense Julio, quo tempore floret, recens expressus cum pari spiritus vini quantitate commiscendus est.

Taraxacum.

(Leontodon taraxacum L. *Löwenzahn.*)

Omnibus hujus plantae perennis atque notissimae partibus ac praecipue radice succus lacteus, saporis salsi atque amari continetur.

E planta, antequam perfecte floret, succus exprimendus atque cum pari spiritus vini quantitate commiscendus est.

Tincturae indicatae gutta parva cum spiritu vini commixta dosis est.

Teucrium marum L.

(*Katzenkraut*, Marum verum.)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Haec planta herbacea apud nos in hortis colitur. Caulis valde ramosus, tenuibus et albis pilis obsitus recta surgit. Folia petiolis instructa, parva, ovata, integerrima, acuminata, margine revoluta, superiore superficie laete viridia, inferiore verò lana alba obtecta sunt. Flores pallide rubri in racemos collecti sunt.

Planta, quo tempore florere coepit, quod fit mensibus Junio, Julio atque Augusto, eodem modo, uti plantae recentes, in usum medicorum homoeopathicorum convertenda est.

Debilibus aegrotis atque iis, qui facile irritantur, nona et duodecima attenuatio sufficiunt; in morbis vero chronicis atque fortioribus aegrotis tertia et sexta attenuatio dari debent.

Per plures hebdomades remedii efficacitas producitur.

Thea caesarea.

(Thea viridis L. *Kaiserthee.*)

Duae attenuationes. (2.)

Thea caesarea foliis constat parvis et teneris, quae primo vere provenere atque non convoluta sed contorta esse debent; colore tincta sunt laete viridi, atque odorem spargunt suavissimum et balsamicum. Ex iis aqua calida infusa potus aromaticus leniterque adstringens obtinetur.

Ex una theae in pulverem redactae atque viginti spiritus vini partibus intra sex dies, mixturam quotidie agitando, tincturam nobis paramus.

Secundae attenuationis gutta dosis est.

Thuja occidentalis. L. (*Lebensbaum.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Haec arbor, quae semper viret, apud nos in hortis frequenter colitur. Folia squamarum instar quatuor seriebus sibi invicem imposita, parva, glabra, ovata, acuminata atque apice obtuso praedita sunt. Flores, qui mensibus Aprili et Majo aperiuntur, ramorum fines occupant.

Foliorum eo tempore, quo florere coepit arbor, decerptorum atque in tenuem pultem contusorum una pars cum duabus spiritus vini partibus commiscetur, quo facto succus exprimitur. Tres hujus succi guttae cum nonaginta septem spiritus vini guttis agitatae primam efficiunt attenuationem.

Quaevis insequentium attenuationum bis tantum agitanda est, ne efficacissimi remedii vires nimis explicentur.

Unum vel duos globulos e saccharo atque amylo confectos eaque attenuatione, cui pars inest decillionesima, imbutos aegrotis damus.

Minimae etiam doses per tres hebdomades efficaces sunt.

Camphora antidotum est.

Thymus serpyllum L.

(*Feldthymian, Quendel.*)

Sex attenuationes. (II.)

Haec parva, fruticosa omnibusque notissima planta eodem modo, quo thuja occidentalis, paranda est.

Tinctura acris sine kali.

(*Aetzstoff-tinctur.*)

Tincturae antimonii acri tantum additur acidi acetici fortissimi, ut charta heliotropio tincta illique immissa rubescat. Potest etiam tincturae antimonii acri acidum sulphuricum aqua dilutum eo usque admisceri, donec eodem modo chartam heliotropio tinctam mutet. Acidum superfluum addita calce usta recipiendum est, quo facto tinctura laetum illum ruborem, quo antea conspicua erat, etiamnum ostendet. Similem tincturam sine kali minoribus viribus praeditam, lapidem causticum chirurgorum spiritu vini extrahendo et kali eodem modo acidi sulphurici adfusi ope removendo, nobis paramus.

Raro plus gutta una aegrotis dare solemus.

Tinctura sulphuris.

(Spiritus vini sulphuratus; *Schwefeltinctur, geschwefelter Weingeist.*)

Granis quinque florum sulphuris spiritu vini ablutis atque deinde siccatis in parva lagena centum spiritus vini guttae adfunduntur, quo facto lagena bene clausa lente invertenda, semel concutienda atque, ut sulphur decidere possit,

loco frigido per horas viginti quatuor reponenda est. Unum duosve globulos e saccharo et amylo confectos et limpido liquore imbutos aegrotis damus.

Remedii efficacitas ad triginta dies interdum producitur.

Uva ursi.

(Arbutus uva ursi L. *Baerentraube.*)

Folia hujus plantae domesticae, quae semper viret, viridi nitent colore, et glabra, in longitudinem producta, figura sua cordi similia, brevibus petiolis instructa, crassa, dura, integra, margine plerumque nonnihil revoluta atque inferiore superficie laete viridi venis retis instar sibi intertextis distincta sunt.

Haec planta vel recens modo thujae praeparari, vel folia ejus siccata et in pulverem redacta viginti spiritus vini partibus infundi debent.

Valeriana officinalis L. (*Baldrian.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Radix hujus plantae perennis atque domesticae permultas spargit fibras; siccata exteriore superficie fusca, intus vero albida est. Corpus radicis raro digitum ambitu suo superat.

Ex hac radice in pulverem redacta secundum regulas saepenumero indicatas tinctura extrahenda est.

In acutis morbis partem quadrillionesimam, ceterum billionesimam aegrotis damus.

Doses mediocres per quatuor vel quinque dies efficacitatem suam retinent.

Coffea et camphora antidotis utimur.

Veratrum album L. (*Weisse Nieswurzel.*)

Duodecim attenuationes. (VI.)

Radix hujus plantae perennis atque peregrinae tubum refert in longitudinem protractum atque cono obtuso similem. Cortex exteriore superficie cinerei coloris et asperrimus, intus vero albidus est; mollis radicis pars cinereum oculis offert colorem.

Tinctura e radice in pulverem redacta spiritus vini ope parata ad partem quadrillionesimam usque attenuatur. Hujus attenuationis gutta una vel guttae unius pars parva aegrotis danda est.

Vel parvae doses per quinque dies et ultra efficacitatem suam retinent.

Largus et fortis coffeae potus, camphora et aconitum napellus vires ejus nimias compescunt. Incommodis, quibus abusus veratri albi dedit originem, china objicienda est.

Verbascum thapsus L.

(*Königskerze.*)

Caulis hujus plantae simplex et valde tomentosus recta surgit; folia alternantia, petiolis haud instructa in caule decurrunt, ceterum ovata, lanceolata, obtuse dentata et multis pilis obsita sunt; flores lutei et magni in spicam longissimam, densam et obtusam collecti summo caule sustentantur.

Succus e herba plantae mense Julio expressus cum pari quantitate spiritus vini commiscendus est; de hac tinctura guttae unius pars parva sufficit.

Viola odorata L.

(*Das wohlriechende Veilchen.*)

Duodecim attenuationes. (IV.)

Auctore Caspario e floribus hujus plantae notissimae succus exprimendus et cum pari spiritus vini quantitate commiscendus est.

Idem partem billionesimam vel quadrillionesimam commendat.

Zincum metallicum. (*Zink.*)

Triginta attenuationes. (X.)

Zincum purum metallum est albo in coeruleum vergente colore tinctum, nitidissimum et tenax, quod aegre duci potest atque fractum fibras ad laminarum fere similitudinem accedentes oculis offert.

Zincum in lapide (*Abziehstein*) sub aqua terendum est, quo facto pulvis cinereus, qui decidit, siccari debet; granum hujus pulveris modo remediorum antipsoricorum ad partem decillionesimam usque attenuatur.

Unus vel duo globuli e saccharo et amylo confecti atque ea attenuatione, cui inest pars sextillionesima, imbuti plerumque adhibentur. Aegrotis, qui facile irritantur et morbo diuturno laborant, pars octillionesima vel decillionesima dari debet.

Efficacitas remedii per triginta, vel quadraginta, vel plures etiam dies producitur.

Camphora et fabarum St. Jgnatii solutione per breve tantum tempus symptomata, quae zinco provocata sunt, leniuntur. Melius est hepar calcis naribus admovere.

Zingiber.

(Amomum zingiber L. *Ingwer*.)

Frusta firma, ponderosa, gravis odoris et acris saporis merito iis, quae vermibus exesa, levia, valde fragilia, mollia atque admodum fibrosa sunt, praeferuntur. Amomum album, quippe aqua fervente viribus suis haud privatum, maiorem habet efficacitatem. Ceterum id optimum habetur, quod e Malabar atque e Bengalia nobis adfertur.

Ex una parte amomi zingiberis in pulverem redacti, viginti spiritus vini partibus adfusis, intra hebdomadem, repetita quotidie agitatione, tincturam paramus.

EMENDANDA.

p. 10 l. 2 ab infer. indicabantur l. *indicabuntur*.
p. 11. l. 9 ab infer. si aliquid lege *si quid*.

Die Familie des Predigers zu Eden
Birkenhayn. Schreibpapier. 8. 1 Thlr.

Rudolph von Forsteck.
Eine Sage aus der Vorwelt. Schreibpapier. 8. 6 Gr.

Franz und Amalie,
oder die wohlthätige Brüderschaft. Schreibpapier 8. 8 Gr.

Freiheits- und Siegeskranz.
In mehreren teutschen Liedern. Taschenformat, broch. 8 Gr.

Der Gartengesellschafter,
the Garden Companion, oder immerwährender Garten-Kalender für Herren und Damen. Zweite Aufl. fürs deutsche Klima neu bearbeitet und vermehrt vom Prof. Leonhardi, broch. mit 1 Kupfer. 8. 16 Gr.

Neue Gartenpläne.
Folio. 1 Thlr. 12 Gr. dito 2s Heft mit Gebäuden. 1 Thlr. 12 Gr.

Der schützende Genius.
Eine Geschichte voller Wunder, aber ohne Geister. Von S. 2 Theile, mit einem Kupfer. Schreibpapier. 8. 1 Thlr. 12 Gr.

Geschichte des jungen Grafen
Sendoza, mit Kupf. 8. Neue Aufl. Schreibpap. 20 Gr.

Häusliches Glück,
oder die rechtschaffene Wittwe im Kreise ihrer Kinder. Von der Verfasserin der Lotte Wahlstein. Mit einem Titelkupfer. Schreibpapier. 8. 16 Gr.

Encyclopädie der römischen u. griechischen Alterthümer, für Humanisten, Künstler und Kunstliebhaber, zum größten Theil aus den übriggebliebenen Kunstdenkmälern jener Nationen entwickelt. Von Dr. Gruber. 1s Heft. 4. brochirt. 18 Gr.

Quintus Horatius Flaccus,
vier Bücher der Oden in gereimten Versen. Von Dr. Ernst Günther. 8. 1 Thlr.

Heinrich und Klärchen,
eine wahre Geschichte aus den letzten zehn Kriegsjahren. Aus dem 18. Hefte der Ameise besonders abgedruckt. 12. broch. 12 Gr.

ländlichem ... bestimmt oh... gnügen ... auf den ... brauchlich ... Spiegel ... s. w. 4.

Ideenm...
Gärten, ... von Land... Gegenden ... Geldaufw... gothischen ... und zu ... Heft, ... schwarze ... franz. ... 80 Thlr.

Kl...
für Gartenl... die mit ... haltend: ... pel, Ein... sitze, Ru... kegel, ... Stühle, ... Liebhaber... was Ges... ten zu ... 12, Heft... 24 Thlr.

Kat...
oder kurze ... sten, di... Grundsä... ten Aus... 12 Gr.

Katechi...
Malerei. ... nigen hi... die Kün... Von C.

Katech...
ein Abriß ... ten, als ... Klassiker... ving, D... bearbeite...

Theo...
oder dessen ... Gelegen... heitskrie... bliebene ...

zu Garten-Meubles in
Geschmack, die sich jeder Garten-
ne Kostenaufwand, auch zum Ver-
selbst verfertigen kann, und wie sie
Landhäusern um London herum ge-
sind; als: Stühle, Kanapees, Tische,
Waschtische, Kamine, Eingänge, u.
Mit 25 Kupfern. 1 Thlr. 12 Gr.

---

agazin für Liebhaber von
englischen Anlagen, und für Besitzer
gütern, um Gärten und ländliche
, sowohl mit geringem als größerm
and, nach dem originellsten englischen,
chinesischen Geschmack zu verschönern
edlen. 5 Bände, oder 1 bis 60s
ovon jedes 9 oder 10 illum. und
Kupfer enthält. Mit deutschen und
xt. Fol. Jedes Heft 1 Thlr. 8 Gr.

---

eines Ideenmagazin,
iebhaber, oder Sammlung von Ideen,
wenig Kosten auszuführen sind, ent-
kleine Lust- und Gartenhäuser, Tem-
Siedeleien, Hütten, Brücken, Garten-
nen, Portale, Monumente, Pracht-
Zermachungen, ha has, Volieren,
Gondeln u. s. w. besonders für solche
, die gerne ohne Kostenaufwand et-
hmackvolles und Neues in ihren Gär-
besitzen wünschen. Zwei Bände oder
, jedes mit 10 Kupfern. Folio.

---

echismus der Musik,
und faßliche Erläuterung der wichtig-
e Tonkunst betreffenden Begriffe und
ze. Aus dem Engl. nach der zwei-
abe von C. F. Michaelis. 12. broch.

---

smus der Zeichnung und
Aus dem Engl. übersetzt, nebst ei-
storisch-ästhetischen Andeutungen über
te, um Zeichnungen zu beurtheilen.
F. Michaelis. kl. 8. broch. 12 Gr.

---

hismus der Mythologie,
der Geschichte der heidnischen Gotthei-
Einleitung in das Studium der alten
Zum Schulgebrauch. Von C. Ir-
r. der Rechte. Aus dem Englischen
t. 8. 12 Gr.

---

dor Körner's Nachlaß,
Gefühle im poetischen Ausdruck, bei
heit des ausgebrochenen deutschen Frei-
ges. Aus dem Portefeuille des Ge-
n. Taschenformat. broch. 8 Gr.

Kunstnovellen der Vor- und
jetzigen Welt, oder Sammlung von Kunst-
neuigkeiten in Paragraphen über Gegenstände
der Kunst und Aesthetik sowohl der ältern als
jetzigen Zeit, von C. St. gr. 8. 1 Thlr.
12 Gr.

Lustspiele oder dramatischer Al-
manach für das Jahr 1819 bis 1828, 9r bis
18r Jahrgang, von F. A. v. Kurländer.
Jeder mit 6 illum. Kupfern. à 1 Thlr.
12 Gr.

Drei Erzählungen,
von Friedrich Laun. 8. 1 Thlr. Enthält: Der
ewige Jude. — Die Irmensäule. — Meine
Kindereien.

Lob der Frauen.
kl. 8. 8 Gr.

Das unbesorgte Mädchen.
Eine Geschichte für Frauen und Jungfrauen.
2 Bände. kl. 8. 2 Thlr.

Die Männer der Republik.
Ein Lustspiel in zwei Aufzügen, von C. A.
Vulpius. Schreibpapier. 8. 4 Gr.

Geist aus Friedrich Schillers
Werken. Nebst einer Vorrede über Schillers
Genie und Verdienst; dessen Portrait u. zwei
nach seiner Handschrift in Kupfer gestochenen
Briefen, von C. F. Michaelis. 8. 2 Thlr.
sonst 3 Thlr. jetzt 1 Thlr. 12 Gr.

Die beiden Offiziere.
Ein Lustspiel in einem Aufzuge von Duval. 8.
12 Gr.

Papiere aus den Archiven der
Vorzeit. Erster Theil, enthält: 1) Raubgraf
Albert; 2) den Meineid, ein Mährchen; 3)
Minna von Rudelsburg. Zweiter Theil ent-
hält: 1) den Traum; 2) den Raubgraf Al-
bert, Beschluß. Mit einem Kupfer. Schreib-
papier. 8. 1 Thlr.

Plaudereien aus dem Reiche der
Liebe. 8. 12 Gr.

Plepipus oder der emporstrebende
Bürgerliche. Im Auszuge aus dem Englischen
frei bearbeitet vom Verfasser des deutschen
Alcibiades. 8. 1 Thlr.

Die Postkutsche,
oder Schwärmereien menschlicher Leidenschaften

ser die ähnlichen Wirkungen der verschiedenen Arzneien mit einem Blicke leicht übersehen und mit einander vergleichen kann. Zugleich hat der Verfasser in einem Anhange die charakteristischen Eigenthümlichkeiten der Arzneiwirkungen auf eine lichtvolle Weise zusammengestellt. Dieses Buch ist ein unentbehrliches Hülfsmittel für Alle, welche die Homöopathie ausüben oder sich auch nur mehr als oben hin mit ihr bekannt machen wollen.

Dr. *C. Caspari's* Homöopathisches Dispensatorium für Aerzte und Apotheker, worin nicht nur die in der reinen Arzneimittellehre vom Hofrath Hahnemann enthaltenen Arzneien, sondern auch die im homöopathischen Archiv abgedruckten und viele bisher noch ganz unbekannten aufgenommen und mit praktischen Bemerkungen begleitet worden sind. Dritte verbesserte und mit neuen Mitteln vermehrte Auflage von Dr. *F. Hartmann*. 8.

Auch unter dem Titel:

Homöopathische Pharmacopö. Preis 12 Gr.

Diese Schrift erfüllt das längst gefühlte Bedürfniss genauer und vollständiger Regeln der Präparation, Verordnung und Dispensation homöopathischer Arzneien vollkommen.

Katechismus der homöopathischen Diätetik für alle Kranke, welche ihre Gesundheit durch eine oder die andere Heilmethode zu erlangen suchen, von Dr. *Caspari*. 8. Preis 12 Gr.

Der doppelte Zweck dieser Schrift, welcher eines Theils dahin geht, den Kranken etwas in die Hände zu geben, wornach sie sich in jedem Falle einer Krankheit und bei jeder Behandlung mit ihrer Lebensordnung richten können, andern Theils darin besteht, den Aerzten selbst die Behandlung der Patienten, besonders die der entfernten zu erleichtern und sie des immerwährenden lästigen Wiederholens der diätetischen Vorschriften in ihrem Berufe zu überheben, ist so gemeinnützig und bei der in den letzten Jahren ungemein vervollkommneten Lehre von der Lebensordnung der Kranken so zweckmässig, dass wir den Wünschen des nichtärztlichen Publikums dadurch entgegen zu kommen hoffen.

Untersuchungen über die spezifischen Heilkräfte der Kohle und deren Anwendung in Krankheiten, dargestellt von Dr. *Caspari* in Leipzig. 8. Preis 6 Gr.

Das ärztliche Publikum erhält hierdurch ein bis jetzt noch wenig benutztes, aber äusserst wichtiges Arzneimittel, welches in vielen der bedeutendsten und hartnäckigsten Krankheiten, von denen nur die vom Missbrauche des Quecksilbers entstandenen, die venerischen, die Hämorrhoidalleiden, die Fussgeschwüre und die chronischen Rheumatismen angeführt werden, ausgezeichnete Wirkungen verspricht.

Homöopathischer Haus- und Reisearzt, oder unentbehrliches Hülfsbuch für alle Hausväter auf dem Lande, die entfernt von der Stadt wohnen, um sich dadurch ohne Arzt in schnellen Krankheitsfällen selbst Hülfe verschaffen und sich die dazu nöthige Hausapotheke verfertigen zu können. Von Dr. *Caspari*. 8. Preis 12 Gr.

Man würde Unrecht thun, wenn man diese Schrift mit vielen andern von ähnlichem Titel in eine Klasse werfen wollte. Der Verfasser hat darin nur solche Krankheiten aufgenommen, deren Behandlung der Nichtarzt

ohne Gefahr übernehmen kann, hat die für die einzelnen Fälle jeder derselben besonders passenden Heilmittel angegeben, die Anwendung derselben genau gezeigt und eine kurze fassliche Anweisung dazugelegt, nach welcher ein Jeder sich die nöthigen Arzneimittel selbst mit sehr geringen Unkosten bereiten kann. Der leicht verständliche und genaue Vortrag des Gegenstandes macht dieses Buch zu einem der vorzüglichsten seiner Art und verspricht uns eine gute Aufnahme desselben bei dem nichtärztlichen Publikum.

Katechismus des Verhaltens für junge Frauen während ihrer ersten Schwangerschaft und Niederkunft, so wie im Wochenbette, um alles vermeiden zu lernen, was ihnen und ihren Kindern schaden könnte, nebst einer Anweisung zur glücklichen Aufziehung der Kinder durch Ammen und andere Nahrung. Zum ersten Geschenk junger Ehemänner an ihre Frauen, von Dr. *Caspari*. Preis 12 Gr.

Auch unter dem Titel:

Taschenbuch für Neuvermählte.

Diese kleine Schrift ist ganz dazu geeignet, einem Bedürfnisse abzuhelfen, welches sich gewiss allen jungen Frauen aufdringt, die ihrem Berufe Genüge leisten wollen. Sie finden hier nicht nur das Nöthige zur Erkenntniss der Schwangerschaft und die Regeln zu einem zweckmässigen diätetischen Verhalten dargestellt, sondern auch einen deutlichen Unterricht über die Zufälle, welche sich dabei ereignen, die Mittel zu deren Beseitigung, z. B. des Brechens, der Anschwellungen der Adern an den Füssen u. s. w., ferner über die Weise, wie sie sich in Hinsicht der für die Kinder nachtheiligen Versehens zu verhalten haben. Nicht weniger ist auch eine Darstellung der dem kindlichen Alter eigenen Krankheiten, die sichersten Mittel dagegen, ferner guter Rath über die Ernährung der neugebornen Kinder und die Wahl der Ammen beigefügt.